



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum V. Decretalium, Per Quadraginta, Et Unum Titulos Distributum,
In quo agitur De Judicio criminali, exponendo primùm actiones in eo
judicio instituendas, & suscipiendas, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1709

Qvæstio III. In Titulum III. De Simonia, Et Ne Aliquid Pro Spiritualibus
Exigatur, Vel Promittatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73064](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73064)



QVÆSTIO III.

IN TITULUM III. DE SIMONIA, ET NE ALIQUID PRO SPIRITUALIBUS EXIGATUR, VEL PROMITTATUR.

330



Ermutatio rei spiritualis cum temporali, quo illius qualitatis fiat compensatio, est delictum, quod vocari solet *simonia*; accepto nomine, à quodam Simone mago, qui primus in lege gratiæ, seu Evangelica, ut legitur Actor. 8. affectu, intentione, & conatu intentavit emere, ac vendere Spiritum Sanctum; ut exponit Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 1. vel, ut exponit Haunold, tom. 6. de Just. tr. 2. n. 558. quia pecuniã emere voluit potestatem dandi Spiritum Sanctum. Ejus deformatio, seu deformitas ex multis apparet. 1. quòd vendens rem spiritualem, vendat id, cuius nec Dominium habet, nec mandatum à Domino. L. *Tradito*. 20. ff. de ac. quirend. rerum dominio L. *si Filius* 14. de donat. Ecclesiastici autem rerum spiritualium nec dominium (cùm sint tantùm dispensatores. 1. ad Cor. 4. & 2. ad eosd. 6.) nec mandatum à Domino habent; nisi ut ea *gratis* dispensent. Matth. 10. Secundò ex parte rei comparatæ cum pretio. Est enim ex natura rei difformè rectæ rationi, *pretio vendere rem, ad quam nullum pretium comparationem habet*, ut colligitur ex L. *si emptio* ff. *omnium* ff. de contrah. empt. Certum autem est, quòd nulla res temporalis ad rem spiritualem, ac supernaturalem, ullam æstimationem habeat. Tertio quia talis rei venditio repugnat naturæ contractus onerosi; *supernaturalia* enim naturã suã *gratis* sunt, & gratis dari debent; vendibile autem naturã suã habet, non *dari gratis*; quibus accedit irreverentia, quæ fit rebus supernaturalibus, dum in ejusmodi contractu temporali pretio coarquantur; & ideo meritò est sacrilegium, seu vitium Religioni oppositum, ut notat Pereyra in Elucid. à n. 1315. & seq. Et prædictus ille

magus à S. Petro audivit, ut dicitur cit. Actorum 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti, pecuniã possideri posse*: his præmissis:

ARTICULUS I.

Quid sit Simonia proprie dicta?

Resp. quòd sit *studiosa voluntas, emendi, vel vendendi pretio temporali, aliquid spirituale, vel spirituali annexum*; sic legitur apud Lessium l. 2. de Justit. c. 35. n. 3. Azor. p. 3. l. 12. c. 1. Glos. ad c. *qui studet* l. q. 1. S. Thom. in 4. distinct. 25. q. 5. a. 1. ubi tamen notandum, eam particulam (*pretio temporali*) à Doctoribus additam esse gratiã majoris explicationis; quo posito

Quæres 1. quid hic veniat nomine *studiosa voluntatis*? quæstio est, quid importet *studiosa voluntas*, per quam tanquam genus, & aliquid commune omnibus vitiiis, definitur vitium *Simonia*? R. importari quidem voluntatem deliberatam, quæ communis est cuilibet delicto; sed præter hoc etiam denotari, quòd prima simonia in lege gratiæ commissã sit, solã voluntate, & conatu, ut dictum est n. 330. Caterùm, per particulam *studiosa*, non significatur, quòd ea voluntas necessario requirat, fieri studio, seu de industria, & datã operã; sed fieri *plenè deliberatè*, ac animo emendi, vel vendendi; hoc est commutandi spirituale pro temporali, vel econtra. Nam sine tali voluntate non committitur simonia *proprie dicta* & jure naturali prohibita; sic Castropalapa p. 3. de Simonia d. 3. p. 4. n. 4. & p. 6. n. 1.

Quæres 2. quid hic veniat nomine *em- ptionis, & venditionis*? R. nomine *em- ptionis, & venditionis* hic venire omnem contractum, pactum, vel conventionem

non

non gratiam, quā aliquid spirituale, vel formaliter, vel annexivè, datur, speratur, vel promittitur *pro temporali*, tanquam pretio, vel ejus æstimatione, aut compensatione, vel econtra; ut patet ex ipso titulo, ibi: *ne exigatur, vel promittatur*; consequenter non tantum illa, quæ talia sunt propriè, sed etiam, transactionem, permutationem, contractus innominatos, & omnem pactiōnem onerosam expressam, vel tacitam, urait S. Thom. 22. q. 200. a. 1. ad 5. imò etiam nominationem, præsentationem, electionem, institutionem, confirmationem, renuntiationem, remissionem, & similes actus, si non gratis fiant; denique etiam omissionem; ut, si quis temporale accipiat, ut omittat hujus, vel illius personæ electionem, ordinationem &c. sic Azor Institut. moral. p. 3. l. 12. c. 1. q. 11. Hæc probantur exemplis. Nam 1. Simoniam committit Episcopus, vel Patronus alicui promittens beneficium sub conditione, si certum negotium coram summo Pontifice in commodum promittentis promoverit. c. *Cum esset*. 12. h. t. 2. si Presbyter xenium, à peccatore publico accipiat in compensationem silentii, seu omissionis, denuntiationis peccati, faciendæ alias Episcopo, vel ejus Ministris c. *Nemo*. 14. h. t. 3. si quis præstat homagium, & fidelitatem Archidiacono, ut ab eo beneficium Ecclesiasticum obtineat. c. *Ex diligenti* 17. eod. 4. si quis Abbati non prius benedictionem det, nisi antè consuetam taxam solvat, vel deponat, c. *Sicut*. 39. eod. 5. si quis cum Episcopo, vel Canonicis, seu capitulo agat, ut in Canonicorum numerum recipiatur, ac (ne aliis præjudicet) offerat certa bona immobilia eâ conditione, ut sibi deinceps sint in præbendam. c. *Tua nos*. 39. eod. 6. si quæ ad Monasteria Monialium, præsertim jam habentia fundationem sufficientem non admittatur, nisi tantam dotem afferat, ut habetur c. 9. 19. & 40. eod. 7. si Canonico non permittantur fructus sui beneficii prius, quàm ex more det prandium c. *Jacobus*. 44. eod. &c.

334. Ex his exemplis, secundum expositionem in sequentibus, colliges, non quamcunque dationem, vel accipiōnem rei spiritualis pro temporali sufficere ad Simoniam propriè dictam, sed requiri, quod detur, vel accipiatur ex pacto, & conventionione onerosâ, saltem æquivalenter tali, ut dicemus à n. 365. sic, ut temporale detur in compensa-

tionem illius dati, vel accepti spiritualis, cum quo fit hæc permutatio. Nam sine hoc non confurgit simonia propriè dicta, & jure naturali prohibita; quia emptio, & venditio propriè importat compensationem, & quasi *appretiationem rei spiritualis*, quæ pretio fit pro re empta, & vicissim. Ita Suarez l. 4. de Simon. c. 30. n. 1. Castropalaus p. 3. de Simonia d. 3. p. 4. n. 2. & 4.

Quæres 3. quid hic veniat nomine *pretii temporalis*? *Re* venire non tantum pecuniam, sed quamlibet rem temporalem pretio æstimabilem, vel habentem aliquam temporalem utilitatem. Hinc nota, ut committatur Simonia propriè dicta (nimirum juris divini, & naturalis) *pretium*, quod datur pro spirituali, necessariò debere esse *quid temporale*. Quare non est Simonia propriè dicta, seu juris divini, dare spirituale pro spirituali, etiam ex pacto. Hæc enim nascitur ex improportione, quam res corporalis, seu temporalis habet in commutationem rei spiritualis; ita S. Thom. 22. q. 100. a. 1. & 5.

Not. autem, illud datum, seu donum 336 temporale (quod dicitur *pretium Simoniacum*) apud Canonistas c. *Salvator*. 1. q. 3. esse in triplici differentia; dicitur enim munus à manu; munus ab obsequio; munus à lingua; & explicatur à Theologis, Suarez de Simon. cap. 37. Azorio p. 3. lib. 12. cap. 2. q. 2. & Lessio citato cap. 35. dub. 20. *Munus à manu* dicitur pecunia, vel quævis alia res pecuniâ æstimabilis, quæ manu apprehendi potest, ut vestis, gladius, liber; *munus ab obsequio* est ministerium, quo quis inservit alteri v. g. operam, vel comitatum præstando. *Munus à lingua* est, quod linguâ, vel loquendo exhibetur, ut favor, patrocinium, preces, supplicationes, intercessionones, laudes, adulationes, & similia.

Ut autem prædicta habeant rationem 337 *pretii*, debet intervenire pactum, vel tacitum, vel expressum. Non enim sufficit, quòd gratis dentur. *Gratis dare*, ut bene explicat Lessius cit. dub. 3. n. 23. ad illa verba Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date*, est *dare sine mercede*. Et *pretio, seu temporali, quod saltem æquivalens pecunia in ordine ad ali- quod temporale commodum*; ex quo, & communi sententiâ Theologorum docet, non esse Simoniam *juris divini permutare res spirituales* v. g. beneficia, & missas inter se, etiam interveniente pacto; quia ibi non intervenit *verum pretium Simonie*.

Hinc

337 Hinc inferes 1. permutationem beneficii, cum beneficio, nullâ pecuniâ, vel alio temporali interveniente sine autoritate legitimi Superioris prohibitam quidem esse jure Ecclesiastico, ut dicitur c. *Cum universorum*, de rerum permutatione; alias tamen permutationes rei spiritualis pro spirituali, extra materiam beneficiorum, nullo jure positivo specialiter prohibitas esse. Unde Canones prohibentes omnes pactiones in rebus spiritualibus intelliguntur in iis, in quibus aliquid temporale pro spirituali datur.

338 Inferes 2. quotiescunque res temporalis seu pretio æstimabilis datur gratis ei, qui donum, vel officium spirituale præstat, nullam committi simoniam propriè dictam, seu juris divini & naturalis. Hæc enim necessariò requirit pacti in onerosam animo compensandi datum, dato. Colligitur ex c. *Quàm pio*. 1. q. 2. & clarius ex c. *Licet*, ead. causâ, & quæst. ubi dicitur, *non esse prohibitum, gratis, & sponte, ac sine exactione datum, accipere*. Constat etiam ex c. *Etsi quæstiones* 18. h. t. & c. *Dilectus* 30. cod. ibi: *gratanter recipi poterit, quod fuerit gratis oblatum*.

339 Inferes 3. etsi temporale datum alicui ex mera gratitudine, qui officium spirituale præstiterit, non sit propriè, & jure divino simoniacum, sic tamen simoniacum fore, si obligatio antidotalis, seu gratitudinis deducatur in pactum speciali promissione illam implendi. Nam hæc conventiones in re sunt pactiones onerosæ, ita Suar. cit. c. 45. n. 9. de quo vide dicenda in seqq.

340 Inferes 4. pro spiritualibus ministeriis dare vel accipere temporalia, etiam ex obligatione, non ut pretium, vel in rei commutationem; sed verè, ut stipendium, & medium sustentationis necessaria, non esse Simoniacum; dignus est enim operarius mercede suâ, ut dicitur Matth. 10. quia justitia naturalis exigit, ut, qui in alterius commodum laborat, ab eodem sustentationem recipiat. Et hoc procedit, cetero ministri rerum spiritualium non sint indigi, sed habeant alia bona patrimonialia, vel Ecclesiastica, ut expressè definitur c. *fin.* 1. q. 2. secundum tamen est, si ministri, ex officio obligati ad ministranda spiritualia, hoc ipso titulo jam habeant à fidelibus sibi sufficientem sustentationem constitutam v. g. ex decimis, oblationibus, & aliis proventibus Ecclesia-

sticis: sic enim jam satisfatum est justitiæ illi naturali, de qua dictum est.

Inferes 5. non esse Simoniacum, dare aliquid temporale sub onere, vel conditione præstandi opus spirituale, modò non fiat per modum compensationis, quâ dans per rem temporalem intendat compensare opus spirituale, vel ut recipiens obligatus sit ad præstandum illud spirituale. Sic enim non intervenit contractus onerosus, sine quo non committitur Simonia juris naturalis, & divini. Hinc, si Christianus tali modo det aliquid infideli temporale, ut baptismum suscipiat; vel puella hæretico matrimonium promittat, si Catholicam fidem suscipiat; vel Princeps reo mortis, vitæ condonationem spondeat, si statum Religiosum suscipiat, Simoniam non committit. Ita Sanch. l. 1. de matr. D. 39. n. 4. Suar. h. c. l. 4. c. 16.

Quando autem dubitatur, an munus oblatum habeat, vel non habeat rationem pretii Simoniaci, ex circumstantiis (nimirum 1. ex qualitate dantis, & accipientis; 2. ex quantitate muneris, & tempore donationis) rem definiendam esse, rescriptis Papa Archiepiscopo Strigoniensi, ut dicitur in c. *Etsi quæstiones* 18. h. t. Cum enim Archiepiscopi Strigoniensis frater, Cardinali Sedis Apostolicæ Legato, pro Archiepiscopi electione, ut ei pallium traderet, ad partes illas accedenti, præsciens necessitatem, Archiepiscopo ignorante, equum unum transmisisset (quia Cardinalis per mare veniens, nullas aut paucas secum equitaturas attulit) re cognitâ timere capit Archiepiscopus, an non simonia, ex hoc ipso munere per fratrem suum dato Cardinali, intercesserit? & rem omnem Pontifici scripsit, à quo responsum accepit: *quod à nullo modo timere oporteat*, ut dicitur cit. c. 18.

Rationem ibidem reddit Pontifex: cum enim in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint maximè attendenda, personæ scilicet dantis, & accipientis qualitas; quantitas muneris, & donationis tempus; qualitas personarum, ut, à quo, & cui, videlicet, an à paupere diviti, vel e converso, sive a divite locupleti datum fuerit; æstimatio muneris, & donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data existat, & an instanti necessitate, seu alio tempore conferatur.

Et subjungit, si ergo prædictorum Cardinalis, & fratris sui personam, & qualiter

litatem pensamus, non fuit magnum, ab eodem fratre tuo, Cardinali, equum unum transmitti, quem etiam jaculatori non petenti vir tantus, & tam abundans fortè donaret; verùm si *temporis necessitatem* perpendimus, non aliâ intentione constat factum fuisse, quàm ut Cardinali subveniretur in articulo prænotato.

Respondet deinde ad objectionem, quâ dicitur: *Beatus, qui excutit manus suas ab omni munere: de illis donis dictum esse, quæ accipientis animum allicere, vel pervertere solent; ac concludit: si ipsa etiam persona electi offerat ordinatori, vel consecratori suo electuarium, vel de vino, sive de aliis hujusmodi, quæ modici pretii fuerunt, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel movere non debeant, non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere, vel donantem.*

343 Quæres 4. quid hîc veniat nomine *rei spiritualis*? ante resolutionem suppon. per *spirituale* hîc non intelligi idem, ac omne solum *incorporale*, sed quod est aliquo modo supernaturale, ad spiritualem salutem animarum ordinatum. Ex his quædam sunt talia formaliter, seu intrinsecè, & quoad substantiam, seu in re, ac *realiter*; alia solum *moraliter*; quædam verò solum annexivè. *Spirituale formaliter, & realiter*, est gratia sanctificans, virtutes animæ infusa, dona Spiritûs sancti, gratiæ gratis datae, ac omne demum per se conducens, prout oportet, ad beatitudinem supernaturalem: *Spirituale moraliter*, consecrationes, benedictiones Ecclesiæ &c. *Spirituale annexivè* dicitur, quod cum spirituali connectitur, sive *antecedenter*, ut jus patronatûs, quod supponitur præsentationi beneficiorum; sive *concomitanter*, ut labor in ministerio sacramentorum, in sacrificio missæ &c. sive *consequenter*, quod supponit officium spirituale. Sic Pereyra in Elucid. n. 1315.

344 Alii dicunt, per *annexa spirituali*, ea intelligi, quæ in se, & intrinsecè non sunt spiritualia, sunt tamen illis annexa, & ab illis dependent, vel antecedenter, vel concomitanter, vel consequenter; hinc volunt *antecedenter* annexa esse, quæ ad spiritualia, quibus annectuntur, præsupposita sunt. Sic vasa sacra, vestes, altaria, templa præsupponuntur ad celebrationem missæ, quæ est quid spirituale: Similiter se habent ad beneficia jus patronatûs, electiones, renuntiationes, collationes beneficiorum. Annexa
Tom. V.

consequenter, quæ conjunguntur alicui spirituali, ut effectus suæ causæ; sic beneficium, seu jus percipiendi redditus Ecclesiasticos annectitur officio ministerii spiritualis, tanquam causæ, quia beneficium datur propter officium, & huc etiam reducuntur pensiones Ecclesiasticae. Ita Azor. cit. q. 1. Suarez l. 4. c. 23. Less. l. 2. Just. c. 32. n. 3. *Concomitanter* ea, quæ nec tanquam causa, vel effectus, sed tanquam aliquid, sine quo exerceri nequit functio spiritualis, intrinsecè conjuncta sunt; ut labor corporalis, qui in celebratione missæ, & administratione sacramentorum suscipitur.

Not. autem sæpè, quod comparatione 345 unius habet se *antecedenter*, & ut causa; comparatione alterius habere se *consequenter*, & ut effectum. Sic sacramenta, *relatè ad gratiam sanctificantem*, quam causant, habent se *antecedenter*, & ut causa; *relatè ad virtutem, & potestatem Christi, quæ signa sensibilia, quibus constant sacramenta, elevaruntur ad vim practicè significandi, ac causandi gratiam*, habent se consequenter, & ut effectus. Similiter jus patronatûs *relatè ad actum præsentandi* Episcopo pro beneficio vacante, Clericum idoneum ad peragenda divina ministeria in tali Ecclesia, habet se *antecedenter*; *relatè ad potestatem Ecclesiæ*, vi cujus conceditur tale jus illi, qui fundavit aliquod beneficium, vel Ecclesiam, aut ædificavit, vel dotavit, habet se *consequenter*.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit Simonia?

346 Canonistæ Simoniam communiter dividunt in tria membra; mentalem, conventionalem, & realem; id quod ex Theologis etiam tenet Suarez de Simonia c. 41. Lessius L. 2. c. 35. dub. 6. & alii. *Mentalis*, non est in hoc loco merum propositum internum, quò quis vult exterius simoniacè contrahere, seu externam Simoniam facere: sed est propositum internum, quò quis, cum confert alteri spirituale, intendit illum obligare ad reddendû temporale: vel e contra, quando confert temporale, intendit illum obligare ad reddendum spirituale, sine ullo pacto externo: ut si quis serviat Episcopo eâ intentione, ut in mercedem ei conferat beneficium, & tandem beneficium conferatur, nullâ tamen factâ exterius conventione. Vocatur *mentalis*, quia licet exterium

ternum effectum habeat, *malitia* non se pro-
dit exterius, sed in mente manet.

347 *Conventionalis* dicitur illa, in qua fit
conventio, seu pactum dandi spirituale pro
temporalis, vel è converso, nondum tamen
ad executionem perducto per traditionem:
& duplex est: altera *purè conventionalis*, ut-
pote neutra ex parte executioni mandata;
altera *mixta*, quæ completa est, seu manda-
ta executioni, ex altera tantum parte: ut si
pactione iniã conferatur beneficium, alterã
parte nondum solvante pretium, vel econ-
tra. *Realis est*, quando pactio ex utrãque
parte completa est, saltem inchoatè, ut si
conferatur beneficium, & saltem pars pretii
solvatur. Unde *realis* addit traditionem rei
supra conventionem: & per hoc à conven-
tionali distinguitur.

348 Sub prædictis membris simoniam divi-
dentibus continentur simonia naturalis, *ju-
ris divini, & juris humani*; simonia *fiãta*, &
confidentia &c. simonia *juris naturalis*, &
divini est, quæ introducãta est eo jure, ac
contingit, quando datur temporale pro spi-
rituali ex pacto, & animo commensurandi,
seu compensandi hoc per illud. Nam in
hoc propriè sita est malitia peccati, quod
simoniam dicimus. Ex quo vides, ad si-
moniam juris naturalis, & divini, necessariò
requiri, dationem pecuniæ (seu rei tempo-
ralis) procedere ex voluntate compensandi,
seu commensurandi eam cum spirituali, ac
illam tanti æstimandi. Et ideo seclusã hãc
voluntate, effi detur temporale cum obli-
gatione donandi spirituale nulla erit pro-
priè seu ex natura rei simonia. Sic Castro-
pal. p. 3. de vitii Religioni oppositis tr. 17.
D. 3. p. 4. n. 4. & 5.

Dixi *ex natura rei*. Nam ex jure Eccle-
siastico, *in materia beneficiorum*, quælibet
donatio cum pacto constituit simoniam.
Hinc colliges, simoniam juris tantum Eccle-
siastici eam esse, quæ à sola lege Ecclesiastica
ortum habet; hoc est, quæ solã lege Eccle-
siasticã, constituitur sub specie peccati simo-
niaci. Negari enim non potest, Ecclesiam
suis legibus, & præceptis constituere posse
materiam in rectitudine illius virtutis, qua-
cum habet aliquam connexionem, & simi-
litudinem; consequenter actum opposi-
tum in irrectitudine, seu deordinatione vitii
oppositi.

Nam hac ratione percussorem Cle-
rici, propter reverentiam ordinis, quo Cle-
ricus insignitus est, & pollutionem Eccle-

siã, propter sanguinis effusionem, ob reve-
rentiam debitam loco sacro, constituit *in
specie sacrilegii*: ergo etiam omnem pactionem
onerosã (quæ intervenit in permuta-
tione rei temporalis cum spirituali) consti-
tuere potuit in specie sacrilegii, propter
reverentiam debitam rebus factis ad Dei
cultum, & animæ salutem ordinatis. Cum
ergo ratio sacrilegii, seu irreverentia prohi-
bita, quam continet simonia propriè dicta,
& ex natura rei talis, consistat in hoc, quod
res spiritualis aliquo temporali appetitur,
ut dictum est n. 330. sub eadem specie sa-
crilegii, constituere potuit omnem eam
pactionem onerosã, quæ cum ista connexio-
nem, vel similitudinem habet, imò fre-
quenter ejus periculum, & rem *licet pallia-
tam*, ut simoniæ vitium evitetur, ut dicitur
c. *fin.* de Pactis.

Præter has simoniæ species, alia est si-
monia *fiãta*, ut exprimit Suarez mox citan-
dus; alia *confidentialis*, quam etiam vocant
simoniam confidentia, ut notat Suarez c. 43.
hæc contingit, cum quis pacificetur cum eo,
qui confert, vel procurat beneficium, eli-
gendo, præsentando, confirmando, vel aliã
ratione, & illud ipsum procuranti, vel alteri
(puta nepoti, fratri ejus) cum fructibus, vel
eorum portione cedit: ita Vallensis h. t. §.
3. n. 3. Ex quo vides, quod hæc simonia
habeat pro speciali materia renuntiationes,
de quibus egimus l. 1. tit. 9.

Hæc simonia dicitur *confidentialis*, à spe
scilicet, & fiducia, quæ illi subest ex resigna-
tione, vel cessione percipiendi commodum
temporale v. g. de fructibus beneficii resi-
gnati, vel ipsum beneficium rursus alteri
cedendi, cujus cessionis numerantur tres
modi speciales, nimirum per accessum, re-
gressum, & ingressum, de quibus egimus
cit. l. 1. tit. 9. & dicemus aliquid
infra.

Ex dictis colliges, conventionem dandi
temporale pro spirituali *solo* jure Ecclesiasti-
co prohibitam, tanquam simoniacam, esse
simoniam juris *tantum* Ecclesiastici, ubi ea
conventio non procedit ex voluntate ex-
pressa, vel tacita temporale commensuran-
di, seu compensandi cum spirituali; sic
enim jure tantum Ecclesiastico prohibetur
ex dictis. Porro *fiãta simonia*, ut exponit
Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 42. di-
citur, quando fit exterius promissio rei tem-
poralis, pro spirituali, vel spiritualis pro
temporalis, sine intentione implendi pro-
missum

missum, aut se obligandi: sive fictio detur in altero contrahentium, sive in utroque.

349 Potissima difficultas est, ut explicetur, quæ emptio, & venditio, seu permutatio rei spiritualis, cum temporali, aut vicissim sit *juris naturalis*, & divini? quæ *juris tantum Ecclesiastici*? hæc enim distinctio perquam scitu necessaria est, ut colligamus, an praxi contrariâ (quæ hodie admodum frequens est in ejusmodi temporalium exactione, occasione spiritualium, quæ dantur) ejusmodi exactiones licite fiant? nam quæ jure naturali, vel divino, etiam positivo, prohibita sunt, nullo usu humano, praxi, aut consuetudine licita fieri possunt, ut ex se patet. Simoniam, quæ committitur in permutatione rei *in se exitative, ac naturâ suâ* spiritualis, seu supernaturalis cum temporali, esse prohibitam jure naturali, ac divino, communis tenet. Nam eo casu revera contra reverentiam rerum intrinsicè supernaturalium, fieret rei temporalis apprehensio cum illis, quæ jure naturali, ac divino repugnat, ut dictum est n. 330. His merito annumerantur omnia, quæ *naturâ suâ* ordinantur ad finem intrinsicè supernaturalem, nimirum æternam nostram beatitudinem; cujusmodi sunt sacramenta, actus per se, ac intrinsicè supernaturales, potestas conficiendi, vel ministrandi sacramenta, celebrandi missas, consecrandi, vel benedicendi &c.

350 Hinc sequitur, permutationem eorum, quæ solum extrinsicè, nimirum solius Ecclesiæ ordinatione, referuntur ad finem intrinsicè supernaturalem, esse quidem simoniam juris tantum Ecclesiastici; sed non solam. Dico *non solam*; quia quædam ex speciali etiam solius Ecclesiæ constitutione sub materia simoniæ numerantur, de quibus dicemus in seqq. Simoniam enim (quæ versatur circa præbendas, & beneficia Ecclesiastica, ex his, quæ jure humano inductæ sunt) numerat Cardenas in tr. de propositionibus prohibitis ab Innocentio XI. differt. 27. c. 1. n. 4. in fine, inter eas, quæ sunt juris divini. Ratio est, quia etsi malitia simoniæ propriè dictæ consistat in eo, quod *res spiritualis indignè comparetur temporali*, tanquam per hoc compensari posset (nam hoc innuit verbum *emptio, & venditio*, quæ important *mercis cum pretio coactionem ex pacto faciendam*) quia tamen quædam permutationes magnam vel similitudinem, vel saltem judicio Ecclesiæ periculum habent accedendi ad ejusmodi comparatio-

Tom. V.

nem indignam, ideo & illa ex eodem fine, quâ ipsa talis indigna rerum spiritualium cum temporalibus comparatio, prohibentur.

Ex hoc colliges, permutationem rei spiritualis cum temporali, quando illa in se (*naturalis*) solum extrinsicè est spiritualis, nimirum ratione conjunctionis cum spirituali, esse simoniacam non jure naturali, & divino, sed jure tantum Ecclesiastico; idem est si res taliter spiritualis non ex vero pacto, æqualitatem aliquo modo intendente commutatur pro temporali, ut docet P. Jacobus Illung Theol. pract. tr. 5. D. 3. n. 311. Talis simonia est (ut habetur in c. *si quis Episcopus* 1. q. 1. & c. *Salvator* 1. q. 3.) vendere officia, quæ pertinent ad solam temporalem ad Ecclesiam spectantium administrationem; cujusmodi sunt officium *æconomi, Sacristæ* &c. Nam hæc *in se* merè temporalia, & remotè solum, aliquo modo, spiritualia sunt, nimirum per annexionem, quatenus mediatè ordinantur ad Dei cultum, & animæ salutem. Nam custodia sacrorum vasorum, proventuum, & bonorum Ecclesiasticorum tendunt ad eum finem, quem habent vasa sacra, & Ecclesiæ, ac eorum Ministri exinde intertenendi.

Not. autem 1. res spirituales tam *formaliter*, quàm *annexivè* dupliciter emi, & vendi posse. 1. *in concreto reduplicativè sumpto*, nimirum non tantum secundum se, sed etiam in quantum explicant, vel intrinsicè, vel extrinsicè ordinationem ad finem supernaturalem; vel *in abstracto*, in quantum explicant illam ipsam ordinationem ad talem finem. 2. *solum specificativè*, ac materialiter, nimirum rem ipsam, seu subjectum, quod sic ordinatum est ad finem intrinsicè supernaturalem.

Not. 2. ut ex venditione, vel emptione rei spiritualis pro temporali (cæteris suppositis) *incurratur vitium simoniæ*, sufficere emptionem, & venditionem *facti*, nec requiri venditionem *juris*, seu venditionem jure validam: sic, ut sacerdos, per matrimonium, contra solennè votum castitatis initum, committat sacrilegium, non requiritur matrimonium *jure*, sed *facto* initum, & sic de aliis.

Ex dictis colliges 1. quoties emitur, aut venditur, seu permutatur pro temporali aliquid *formaliter*, nimirum vel *realiter*, vel *moraliter* spirituale in abstracto, vel concreto reduplicativè sumpto (titulo talis spiri-

tualitatis, auctâ rei æstimabilitate, & pretio) committi simoniam juris naturalis, & divini. Nam sic propriè fit indigna tractatio rei formaliter spiritualis cum temporali. Idem dicendum est de quocunque solum annexivè spirituali in abstracto, vel concreto reduplicativè sumpto.

355 Coll. 2. quoties emitur, aut venditur res spiritualis in concreto solum specificativè sumpto, solum tunc committi simoniam juris naturalis aut divini, quando spiritualitas realis, aut moralis *ab intrinseco* inseparabilis est à subiecto talis concreti, ut est gratia sanctificans; nam hujus entitas intrinsecè connectitur cum effectu formali, quo subiectum evadit formaliter sanctum &c. ubi verò separari potest (ut sunt benedictiones vestium, unctiones vasorum sacrorum) non esse materiam simoniæ juris divini, sed tantum Ecclesiastici, seclusâ dispensatione in tali jure. Sic qui venderet gratiam sanctificantem, vel potestatem conficiendi sacramenta, sumpta in abstracto; vel hominem baptizatum in concreto, in quantum baptizatus est; vel beneficium Ecclesiasticum, in quantum dicit ordinem ad sacrum ministerium sacrificandi, sacramenta conficiendi, ministrandi &c. committeret simoniam juris naturalis, & divini. Nam hæc propriè sunt materia talis simoniæ juxta n. 354. Similiter qui emeret, aut venderet calicem consecratum, vel vestem benedictam, *quâ talem*, committeret verè simoniam juris naturalis, & divini ex eadem ratione: Si autem venderet calicem consecratum, solum *materialiter* sumptum, titulo consecrationis non auctâ rei æstimatione, adhuc retinentem consecrationem, committeret simoniam juris duntaxat Ecclesiastici, seclusâ dispensatione legis Ecclesiasticæ talem emptionem, aut venditionem prohibentis. Econtra emens, vel vendens *hostiam consecratam*, cum ab ea, quàm diu manet sensibilis apparentia panis, consecratio (consequenter præsentia Christi sub iis speciebus) inseparabilis sit, atque adeo naturaliter illarum emptio trahat id, quod necessariò annexum est, verè committeret simoniam juris naturalis, & divini, ex n. 349. his prænotatis:

S. I.
An sit Simonia dare temporale pro spirituali,
non tanquam pretium, sed tantum tanquam
motivum conferendi, vel
efficiendi spirituale?

R Esp. hanc propositionem (*dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium; sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale*) esse quadragessimam quintam inter eas, quæ tanquam *scandalosa* ab Innocentio XI. damnatae sunt. Ex qua damnatione videtur inferri, simoniam posse committi, permutatione rei spiritualis pro temporali, licet hoc non habeat rationem *pretii*, hoc est, licet *hoc* non comparetur *illi* tanquam aliqua ejus compensatio, consequenter nullâ interveniente appreciatione rei spiritualis cum temporali.

Pro resolutione not. *pretium* hic accipi, ut diximus n. 335. pro qualibet re temporali, cujus commodum, consequenter æstimabilitas potest nummismate, hoc est pecuniâ mensurari, ut ait D. Thom. in 4. Dist. 25. q. 3. a. 3. in corp. Not. 2. definitionem simoniæ traditam n. 331. non limitari ad solam simoniam juris naturalis, aut divini, sed etiam humani, quæ scilicet jure humano inducta est; cum & hæc dicatur simonia, ut colligitur ex c. *Quæstum*, de rerum permutat. ibi: *præsertim pacto præmissâ, qua circa spiritualia, vel annexa spiritualibus, labem semper continet simonia.* Et ideo propriè simoniacum est, jure tamen solum Ecclesiastico, non divino, dare & accipere pretium temporale, pro eo, quod est spirituali annexum, licet illud *spirituale solum per annexionem*, in se sit aliquid merè temporale, ut est beneficium Ecclesiasticum, seu jus percipiendi annuos redditus, annexum officio spirituali. Unde etiam permutatio unius beneficii cum alio facta, sine autoritate Episcopi, verificat prædictam definitionem; nam in eo casu dans beneficium A. pro B. dat spirituale pro temporali; nam beneficium A. est quid *extrinsecè*, seu *annexivè* spirituale; & beneficium B. est *in se* intrinsecè, ac formaliter quid temporale; quod dicitur vicissim. Sic Cardenas cit. n. 12.

Not. 3. dupliciter fieri posse, quòd detur alicui aliquid temporale, *ut motivum conferendi, vel efficiendi aliquid spirituale; vel econtra. 1.* si homo, qui ambit aliquod beneficium, ei, qui potest præsentare, instituere, conferre, det aliquid temporale, *eo fine*, ut hic ex eo dato allectus, moveatur ad præsentandum, instituendum, conferendum, quin intercedat pactum aliquod expressum, vel tacitum, cujus sit aliud aliquod signum

signum externum. 2. si quis beneficium, quod habet, resignet alteri eo fine, ut iste inducatur, & movetur ad recipiendū dandum resignanti aliquid temporale, pecuniam, vel pretio æstimabile, nullo similiter pacto, externè ullo alio signo, expresso. Not. 4. in casu, quo alter dat spirituale, motus ex illo dato temporali (eo quòd sibi persuadeat, eam rei temporalis dationem fieri eo fine) *ex parte utriusq; esse simoniam mentalem*; si autem alter illi, qui offert munus temporale, det spirituale, sed non motus ex illo munere temporali, *ex parte offerentis temporale fore simoniam mentalem*, non ex parte dantis spirituale; quibus positis:

359 Re. dare temporale pro spirituali, tanquam *motivum* conferendi, vel efficiendi spirituale, omnino simoniacum esse. Nam in isto casu datur temporale cum interna intentione, ac eo fine, ut inde obrineat aliquid spirituale, vel econtra; sed hæc datio est simonia mentalis ex n. 346. Simoniam autem mentalem esse veram simoniam, tenent non tantum cononista, ut mox dicemus; sed etiam communiter Theologi, ut videri potest apud Suarez tom. 1. de Relig. tr. 3. l. 4. c. 41. ergo.

360 Sed dices 1. temporale, quod habet solum rationem *motivi* dandi spirituale, non habet rationem *pretii*; sed sine hoc non stat vera simonia; ergo. 2. esto dans temporale cum interna intentione obtinendi spirituale ab altero accipiente, habeat pravam affectum; quia tamen nullum dat ejus externum signum, ut ponit casus, *nullum intervenit pactum*, non tantum quando alter ex eo dono temporali non movetur ad conferendum illud spirituale; sed etiam quando movetur, quin detur hujus signum aliquod externum; sed sine aliquo pacto, saltem implicito, non datur vera simonia; ergo.

361 Ante resolut. not. 1. ex communi hominum sensu, & iudicio censeo, quòd Judex *saltem æquivalenter tunc vendat justitiam, quando muneribus inducitur, ac movetur ad discendum sententiam pro eo, qui munera dedit.* Sicut enim (quando motus ex merito cause contra alterum prævalente, dicit sententiam pro parte, quæ in causa proposita prævalet in merito sententiandi) dicitur *formaliter* ministrare justitiam; sic si ex *muneribus acceptis* inclinatur ad idem, dicitur *pretio æquivalenti* dare, & ideo com-

muni hominum æstimatione, in tali casu, ejusmodi munera censentur *æquivalenter pretium*, præsertim, ubi constat ejusmodi donis Judicis animum facile flecti; id, quod in multis nunc obtinet.

Not. 2. ad mentalem simoniam suffi- 362 cere internam *intentionem* (quantum est ex parte unius) dandi aliquod temporale, quæ transit in opus, seu promissionem, vel dationem *externam*, animo spirituale aliquid obtinendi. 1. quia Simonia non dicitur *contractus, sed studiosa voluntas*, quod habetur affectu unius. 2. quia Simon Magus sui muneris oblatione commisit veram simoniam; quin D. Petrus ex eo motus illi ullum spirituale donum dederit, aut promiserit. 3. quia simonia committi potest *promissione*, ut liquet ex Rubrica hujus tituli; quod confirmatur ex pluribus sacris canonibus. Nam 1. in c. *Et si quaestiones. 18. §. quod autem h. t.* ubi dans aliquid temporale illi, à quo accipit spirituale, & dans, & accipiens excusatur à peccato (nimirum Simonia) si datum sit *modici pretii, nec debet inclinare, vel movere voluntatem recipientis*; ergo secus est ubi datum est tale, quod *deberet* (hoc est) datur ex fine, ut inclinet, & moveat voluntatem recipientis, ut conferat spirituale. Sic Barbosa in cit. c. n. 2. & 3. cum pluribus aliis. Nam ex parvis istis muneribus non præsumitur pravus animus dantis ad pervertendam voluntatem recipientis; secus est in opposito, consideratis tamen circumstantiis dantis, & accipientis. Ut colligi potest ex c. 18. de Simon. de quo supr. n. 342.

Deinde in c. *Tua nos 34. h. t. simonia* 363 *eus declaratur, qui etiam secluso pacto, bona sua offert Ecclesie in præbendam exinde constituendam, ut per hæc temporalia, qua offert, spiritualia valeat adipisci* v. g. ut in numerum Clericorum ejus Ecclesie recipiatur, & illa ipse in præbendam deinde habeat; quod etiam colligitur ex c. *Mandato*, fin h. t. ubi dicitur, *spiritualia, & temporalia data, & accepta sine pacto præcedente, sed solo affectu animi* (nimirum acquirendi spirituale pro temporali, vel econtra) *non quidem esse restituenda; sed satis esse, si eos peniteat, & Creatori satisfaciant*, hoc autem peccatum nequit esse alio titulo peccatum, nisi *ex solo pravo affectu* acquirendi spirituale pro temporali, tanquam motivo ad id inducente, vel econtra: quo tandem conficitur, in hoc casu, præsumi conventionem dantis temporale cum reddente spirituale, qui

qui hoc facit motus ex tali dono: quibus prænotatis:

364 Ad primam object. in n. 360. 12. cum distinctione, & concedo, temporale, quod habet solam rationem *motivi* non habere rationem *pretii formaliter*; secus *æquivalenter* 361. pretium *formaliter*, est pecunia, quæ datur, vel promittitur, in vicem rei vendibilis, ut venditori stet loco rei, quam dat emptori; *æquivalenter*, quod habet vim inducendi animum accipientis, ut ejus intuitu præster aliquid danti. Et ideo etiam Theologi *merita* comparant *pretio; satisfactionem, solutioni debiti*; hæc enim extinguit debitum, etiam invito creditore; secus illa; cum creditor possit non velle vendere, seu remunerari.

365 Ad 2. arg. in eodem num. 12. ad simoniam saltem juris Ecclesiastici sufficere *paetum præsumptum*, seu *assentatum*, nimirum *voluntatem, quantum est ex parte dantis, titulo doni temporalis movendi animum accipientis ad obtinendum spirituale*. Ratio est n. 361. Nam sicut in casu, quo, dum quis datis muneribus corrumpit, & pervertit animum Judicis, dicitur *æquivalenter emere justitiam*, hoc est judicis sententiam in sui favorem trahere; & *æquivalenter dare premium*: sic dicitur dare *ex pacto æquivalenter*. Utergo in casu dictæ objectionis verum sit, *nullum* intervenire *paetum*, requiritur, quod nec *formaliter*, nec *virtualiter* interveniat. Hæc responsio confirmatur ex S. Thoma qui 2. 2. q. 10. a. 2. ad 5. Simoniam esse dicit *per pecuniam parare sibi viam ad spirituale obtinendum*; ut si ambiens beneficium, ejus collatori (præsertim cupido pecuniæ) offert summam pecuniæ, reverâ parat sibi viam ad spirituale, nimirum tale beneficium; esto non paciscatur *formaliter* cum eo, ergo.

§. 2.

An sit Simoniacum, dare temporale pro spirituali, vel e contra, tanquam gratuitam compensationem?

366 **N**E donatio *strictè*, prout explicat meram liberalitatem, immunem ab omni debito, & *gratuita compensatio* confundantur, supponendum, *donationem merè gratuitam* esse, quæ fit citra debitum, verum, vel æstimatum, & sine onere, consequenter merè liberaliter, atque adeo prout con-

tradistinguitur etiam à donatione *remuneratoria*; & excludit etiam *debitum solius gratitudinis*; in qua fundatur *compensatio gratuita*, prout hic accipitur in propositione damnata. Nam omnis compensatio est vel ex *justitia*, vel ex *gratitudine*; sed hic non est sermo de compensatione ex justitia, cum talis non sit *gratuita*; ergo de compensatione ex *gratitudine*, sic Cardenas in tractatu ad propositiones damnatas ab Innocentio XI. dissert. 27. c. 3. a. 1. n. 37. his præmissis:

Quæstio est, an pactum dandi ex gratitudine aliquid spirituale pro temporali, vel e contra, sit *simoniacum*: v. g. an liceat dare aliquid spirituali annexum, cum pacto, ut recipiens illud, ex sola gratitudine obligetur ad dandum vicissim aliquid temporale, vel e contra? hæc quæstio frequentem usum habet in praxi. Nam non pauci, cum alteri resignant, vel conferunt beneficium, aut alio modo de spiritualibus provident, presentando, instituendo presentatum, confirmando electum, mittendo in beneficii possessionem, ut fugiant nomen Simonie (quod non egerint ex pacto justitiæ) vel animo compensandi spirituale per temporale; rem titulo *pacti solius gratitudinis* palliantes, Simoniacorum poenas se subterfugere credunt, quod oblata, vel data pro ejusmodi functionibus acceperint *sola gratuita compensatione*, quod non præstat materiam Simonie. Hac enim ratione vitari simoniam, complures censuerunt, cum, & apud Dianam p. 2. tr. 2. miscell. resol. 39. & p. 3. Unde quidam asserbant, quod non committat simoniam, qui resignat alteri suum beneficium sub conditione, quod Resignatarius se obliget, Resignanti donum aliquod *antidorale*, seu gratitudinis præstandi, atque adeo implendi obligationem gratitudinis, resignatione cæteroquin non valiturâ, conditione non impletâ.

Verum omnino affirmandum est, tale pactum esse simoniacum. Ita Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. de Simon. c. 5. n. 11. Gibalinus de Simon. q. 18. confectar. 3. n. 5. & complures alii. Nam qui pro spirituali recipit ex pacto aliquid temporale, *ultra debitum gratitudinis*, est simoniacus; nec enim ullus alius titulus, quàm compensationis eo casu suffragari potest; sed qui resignat v. g. alteri beneficium, cæ conditione, vel pacto, ut Resignatorius sit obligatus Resignanti, *implere obligationem antidoralem*,

ralem, seu debitum gratitudinis dando aliquid temporale pro spirituali, recipit ex pacto aliquid spirituale, *ultra debitum gratitudinis*; ergo major exinde constat, quia in eandem cadit tota definitio simoniae proprie dictae. Id enim, quod est *ultra debitum gratitudinis* nequit habere rationem *compensationis gratuita*. 1. quia alias non esset *ultra*, sed intra illam. 2. quia sic non esset debitum strictè, nimirum ex pacto naturaliter, & ex iustitia obligante. Minor etiam probatur 1. Nam obligatio, seu *debitum*, *immediatè nascens ex beneficio accepto*, distinguitur adæquatè ab obligatione, *non immediatè nascente ex beneficio accepto*, sed ex pacto superaddito: at obligatio, seu debitum gratitudinis immediatè nascitur ex beneficio accepto; obligatio ex pacto implendi debitum gratitudinis non immediatè nascitur ex beneficio accepto, sed ex pacto superaddito; ergo debitum gratitudinis adæquatè distinguitur ab obligatione ex pacto implendi debitum gratitudinis; ergo hæc non continetur in illo (alias aliquid contentum in toto esset adæquatè distinctum ab illo) ergo est aliquid ultra debitum gratitudinis.

369 Deinde obligatio naturalis, quæ in hoc casu imponitur, & nascitur ex pacto implendi debitum gratitudinis, non continetur in debito gratitudinis; ergo, qui eam in dato casu imponit alteri, & exigit ab illo, exigit, ac recipit aliquid *ultra* debitum gratitudinis. Ante. prob. Nam obligatio, seu debitum gratitudinis, eum, qui ab altero accepit beneficium, ex vi gratitudinis *non determinat* in conscientia ad dandum reciprocè benefactori *aliquid temporale determinatè*, sed beneficiario relinquit liberum id, quo velit, & præstet se gratum benefactori, modo reciprocum obsequium sit decens; obligatio autem illa nascens ex pacto, *determinat* in conscientia ad dandum reciprocè benefactori determinatè aliquid temporale, ergo hæc non continetur in illa. Confirmatur quia post pactum est duplex obligatio *gratitudinis*, & *pacti*: sed in debito gratitudinis non est hæc duplex obligatio; ergo post pactum est plus, quàm in solo debito gratitudinis; ergo, qui exigit, & recipit hanc duplicem obligationem, seu debitum, exigit, & recipit plus, quàm solum debitum gratitudinis, ergo aliquid *ultra*.

370 Dices: quod de jure inest receptioni beneficii, exigere, & recipere ex pacto, non est simoniacum; sed obligatio gratitudinis

de jure inest receptioni beneficii; ergo illam ex pacto exigere, ac recipere ab accipiente beneficium non est simoniacum. Min. ex se patet; ma. autem prob. quia non committit ullam simoniam collator beneficii, qui à recipiente petit, ac ex pacto recipit, ut se obliget ad solvendo annuos redditus, ex censu, alias imposito beneficii fundo; cujus ratio est, quia hæc obligatio jure inest receptioni talis beneficii, cui annexum est hoc onus reale. 2. majorem esse veram, quando pactum cadit in obligationem, *quæ jure inest, eo modo, quo inest*; non autem, *si eo modo non inest*; quia tunc jam exigit aliquid ultra id, quod est sub obligatione, supra quam pactum cadit. Et ideo licet, ac sine omni simonia collator exigit, ac à collatorio recipit obligationem ex pacto, quod solvet annuos redditus ex censu alias incumbente fundo talis beneficii. Nam hoc onus determinatè inest receptioni beneficii prius realiter gravati: at obligationi gratitudinis ex beneficio accepto non inest obligatio *determinatè* petens temporale in recognitionem beneficii accepti, ut constat ex dictis: ergo pactum non cadit in obligationem gratitudinis, secundum id, quod illi de jure inest.

Pro reliquis in contrarium not. 1. sicut 371 ad simoniam sufficit quilibet contractus onerosus super spirituali pro temporali, vel econtra, licet non sit formaliter contractus emptionis; sic sufficere, quod detur quodvis donum recipienti spirituale onerosum, & illud danti commodum, licet non sit formaliter pretium; hoc autem intervenit in casu, quo temporale recipitur pro spirituali *ex pacto* compensationis gratuita, ut ostensum est. Not. 2. secundum aliquos posse tramitti, quod, quando collatarius collatori promittit, *quod velit recognoscere beneficium, seu favorem sibi collatum*, per hoc præcisè non committat simoniam; est collator eam promissionem acceptet, & collatarius inde obligetur ad exhibendum se gratum; quia sic solum se obligat ex pacto ad præstandum id, quod petit obligatio gratitudinis, non autem si promittat, quod velit recognoscere *per tale determinatè obsequium*; quia obligatio gratitudinis non petit hoc determinatè, & hoc sensu dicunt, quod recipiendo talem obligationem, recipiat aliquid ultra debitum gratitudinis: sed rectius negatur; quia sic adest obligatio *gratitudinis, & promissionis*.

Not. 3,

372 Not. 3. dupliciter posse intelligi, quod Clericus recipiens beneficium à Collatore; vel præsentationem ad illud à Patrono, illi dicat: *affecuro, quod ero gratus*, 1. si hoc dicat animo, significandi, se fore in effectu memorem obligationis antidotalis, hoc est gratitudinis. 2. si dicat ea verba taliter, quo attentis circumstantiis significet, se temporale daturum, pro collato eo beneficio spiritali; quo posito, & in primo casu non intervenire simoniam; secus, in secundo. Ratio primi est, quia ibi titulus nascens, ex illo dicto tendit ad præstandum, quod petit debitum antidotalis, seu gratitudinis, non restringens determinatè ad certum aliquid; in secundo autem casu, obligatio nascens ex illis verbis cadit in aliquid, quod determinatè non exigit debitum antidotalis; cum particula *pro spiritali*, determinatè significet dationem *compensativam*; ergo hæc obligatio est ultra debitum gratitudinis, ut dixi num. præcedentibus. Melius, quia illud dictum non parit titulum distinctum à titulo gratitudinis; secus, alterum, in injur. *promissi*.

373 Instabis, saltem in hoc secundo casu non erit simonia *conventionalis*; sed ad summum tantum *mentalis*; adeoque, cum simonia mentalis non subiaceat pœnis à jure statutis in simoniacos; dans, & recipiens temporale pro spiritali in hoc casu, saltem liber erit ab illis pœnis. Sed revera, negari non potest in hoc casu fore simoniam conventionalem. Nam Collatarius, ut ponit casus, attentis circumstantiis significat, se gratitudinem exerciturum dando temporale; & sic Collator ejus promissionem acceptat; at hoc est formalissimè pactum, seu conventio duorum in idem; ergo.

§. 3.

An dare temporale pro spiritali tanquam motivum, vel compensationem gratuitam, sit simonia juris naturalis & divini, vel tantum Ecclesiastici?

374 UT ex præsentis quæstionis resolutione pro reliquis quoque regula statuatur, not. 1. simoniam ex natura rei non committi per contractum etiam onerosum emptionis, & venditionis, sive talis contineat emptionem formaliter, ubi pro re seu merce datur pecunia; sive virtualiter, & æquivalenter, ubi aliquid æquivalens pecuniæ, ut

constat à n. 335. *nisi interveniat datum spiritalis, & acceptum temporale, vel e contra*. Ex hoc sequitur in eo casu, ut per emptionem, vel venditionem, sive formaliter, sive virtualiter talem, committatur simonia strictè sumpta (nimirum juris naturalis, & divini) materiam illius contractus necessariò esse debere aliquid *spiritalis ex una*; & *pretium*, vel formaliter, vel æquivalenter tale *ex altera parte*; nam aliàs non salvatur definitio simoniæ in n. 331.

Not. 2. non committi simoniam juris naturalis, vel divini, *nisi id, quod venit in appretiationem*, seu *vicissim datur pro temporali, sit spiritalis* juxta dicta à n. 343. & seqq. nimirum vel de se ac entitativè, vel saltem moraliter aliquid supernaturalis, aut ad illud naturam suam ordinatum, vel etiam inseparabiliter annexum, ac eo titulo appretiatum, ut diximus ibidem. Not. 3. nec committi simoniam juris naturalis, & divini, nisi id, quod datur pro spiritali, habeat *rationem pretii* vel *formaliter*, vel *æquivalenter talis*. Dico *æquivalenter talis*, quia (esto non sit *pretium formaliter seu pecunia*) sufficit quodvis temporale, pecuniæ æquivalens, seu pecunià mensurabile, ut ait S. Thomas, n. 365. à nobis relatus; aliàs non committeretur vera simonia per munus à manu, ab obsequio, à lingua, contra expressos canones *sunt nonnulli, c. Ordinationes. l. q. l. c. Salvator*, cad. q. 3.

Not. 4. sub munere à manu, in quantum constituit pretium æquivalenter, quòd datum pro spiritali, sit materia sufficiens ad simoniam juris naturalis, & divini, plura contineri, seu comprehendi. 1. remissionem debiti, vel promissionem id remittendi. 2. mutationem pecuniæ. 3. dilationem debiti aliàs hoc tempore solvendi. 4. promissionem solvendæ alicujus pensionis, seu pecuniæ alio titulo, determinatè non debita &c. Nam hæc omnia naturam suam afferre apta sunt temporale commodum, illa recipienti, ergo per n. 335. sunt sufficiens materia simoniæ juris naturalis, & divini. Similiter sub munere ab obsequio, in quantum contradistinguitur à munere à manu, ac est æquivalenter pretium, & materia simoniæ propriè dictæ, atque adeo juris naturalis, & divini, venit quodvis obsequium præstitum per propriam personam; & in hac acceptione, est quodvis servitium quod quis alteri præstat in commutationem pro spiritali v. g. tractando illius negotia; gerere curam

curam ejus loco in aliis functionibus &c. Cum enim hæc aliàs compensari soleant, reverà pretium sunt non formaliter, sed æquivalenter. Denique etiam munus à lingua (ut sunt commendationes, intercessiones, procuratio favoris apud tertium, à quo redundat in alterum temporale commodum &c.) ubi venit in commutationem rei spiritualis, est *pretium æquivalenter*, & materia sufficiens ad simoniam propriè dictam, consequenter jure naturali, ac divino, & non merè Ecclesiastico prohibitam.

377 Not. 5. ut actio aliqua ex natura rei sit propriè simoniaca, requiri, quod datio, & receptio, rei temporalis pro spirituali, aut econtra, sit datio, & receptio *onerosa*, & *danti*, & recipienti. Nam si quis suo Patrono, à quo promotus est ad aliquod beneficium, aut dignitatem Ecclesiasticam purè liberaliter, & nullo prorsus debito indutus aliquid offerat, à simonia juris naturalis, & divini immunis est, ut docet Castropalaus cit. P. 3. de simon. D. 3. p. 4. a n. 1. Unde talis donatio spontanea, & purè liberalis non tam est pro spirituali (nam hoc significat quandam quasi appretiationem rei spiritualis) quam mèra datio rei temporalis, præcedente datione rei spiritualis, ut in dante duntaxat denotet, animi sui honestatem, in eo relucens, quòd quis non animo mercenario, sed nobili, ac sine respectu ad aliam utilitatem ex facto suo nascentem, alteri largitur; quibus positis:

378 Ad quæstionem initio §. propositam &c. in casu quo dare temporale pro spirituali, vel econtra, non tanquam pretium, sed tanquam motivum, aut compensationem gratuitam, simonia est, ut diximus à n. 368. eam esse simoniam juris naturalis, & divini. Nam prohibitio hujus permutationis non est inducta solo jure Ecclesiastico; ergo non est juris tantum Ecclesiastici; ant. prob. quia talis simonia continet dationem rei spiritualis, quod temporali compensetur; vel econtra temporale, quod compensetur spirituali, ut probatum est à n. 356. & 366.

Ex dictis colliges. 1. quòd si Episcopus aliquem ordinans sine titulo, ab ordinando exigat promissionem, quòd nihil peret ab illo in debitam sui sustentationem (quam alias ordinando præstare teneretur eum *ordinans sine titulo*, ut habetur c. *Cum secundum*, de præbend.) committat veram, ac propriè dictam simoniam; nam hæc re-

Tom. 7.

missio debiti, eum cateroquin *alendi*, est munus à manu ex n. 376. consequenter pretium æquivalenter (est enim pretio æstimabilis) petitur in commutationem rei spiritualis, nimirum ordinationis, quæ est actus jurisdictionis spiritualis. Colliges 2. qui alicui in bonis suis constituit *titulum mensæ* ad suscipiendos ordines, cum pacto, ut tamen nihil exigat de illo, non committere simoniam propriè dictam; nam constituere alicui *jus alimentorum* in suis bonis, & *obligare se, ad non utendum eo jure*, non est permutatio *rei spiritualis cum temporali*, vel econtra. sic Cardin. Toletus in summa l. 1. c. 48. n. 10. Colliges 3. omnem *pactionem*, quæ jure non inest, dandi spirituale pro temporali, vel econtra, verè simoniacam esse. c. *fin.* de Pact. & ita tenet communis cum Navarr. c. 23. n. 101. Less. l. 2. c. 20. d. 9. Suarez. l. 4. de Simon. c. 38. n. 7. Molin. de Just. tr. 2. D. 310. & aliis. Nam in largitione rerum spiritualium adesse debet maxima puritas, immunis ab omnigeno turpi lucro; ergo intervenire non possunt temporalia in permutationem, utpote omnino indigna, quibus illa quodammodo appretientur. Dixi *omnem pactionem, quæ jure non inest*, Nam pactio præstandi alimenta, & decentem sustentationem ei, qui ex officio ministrare debet spiritualia, ex natura rei, & jure etiam divino, tacitè inest impositioni, ac receptioni talis officii. Dignus enim est operarius mercede suâ. Ex quo vides, receptionem fructuum ex beneficiis Ecclesiasticis propter officium spirituale datis, immunem esse ab omni labe simoniæ; quia talis pactio, ut jam dictum est, tacitè inest jure naturali, & divino, impositioni, ac receptioni beneficiorum. Colliges 4. si Episcopus conferat beneficium, aliàs non collaturus, nisi collatarius promittat, quòd admittat imponi beneficio pensionem aliquam ipsi Episcopo, vel alteri solvendam; collationem fore simoniacam. Nam sic confertur spirituale, temporali ex pacto compensandum; quod tamen intellige, si beneficium nec ante habuit onus dictæ pensionis; c. *fin.* Ut Eccles. benefic. sine diminuit. Nam successor in beneficium, aliàs legitime gravatum, nondum extincto titulo talis oneris, licitè obstringi potest, ad illud fideliter implendum.

Dices: Episcopis licet ex causa justa, & 379 necessaria beneficiis Ecclesiasticis pensionem imponere ad tempus. c. *si propter* de

K

Rescript.

Rescript. in 6. Clem. 2. de reb. Ecclæs. non alienandis; ergo Collatarium ad eam ritè persolvendam obligare in ipsa collatione beneficii, non continet simoniam. *32. ant.* verum esse, quando *non in ipsa collatione beneficii* onus imponitur, & à Collatario *exigitur consensus* de admittenda pensione, quando beneficium prius gravatum non erat; aliàs enim præsumitur pactio injusta; cum, ubi adest iusta, & necessaria causa beneficium gravandi aliquâ pensione, non requiratur consensus beneficiarii, sic gloss. in cit. Clement. 2. V. *defensor*. Suarez cit. l. 4. c. 38. n. 10. Flamin. de resignat. l. 6. q. 2. n. 3. Not. tamen, in eo casu, quo talis pensionis nova impositio fieret ex iusta, & necessaria causa, consequenter non in commutationem pro collatione beneficii, non fore simoniam *ex natura rei*, adeoque nec juris naturalis, & divini; an autem foret juris Ecclesiastici, constabit ex dicendis.

380 Colliges 5. juxta Navarrum apud Castropalaum cit. p. 3. D. 3. p. 3. n. 4. *S. Huc*, simoniacum esse, dando temporale ad consequendum sibi beneficium Ecclesiasticum parare viam, per actionem aliquam ab altero in eum finem ex pacto præstandam; ut si quis obtinere volens beneficium, convenit cum aliquo Curiali de constituenda illi pensione, si præstet auxilium ad illud obtinendum; vel de vacantibus beneficiis statim notitiam faciat. Sed contrarium videtur dicendum, quoad allata exempla de simonia *ex natura rei*, seu juris naturalis. Nam quod dem alicui pecuniam, ex hoc sine, ut per ejus intercessionem, qui apud Collatorem est potens, impetrem beneficium Ecclesiasticum, non cupio, nec quero *ex natura rei*, etiam æquivalenter, compensare aliquid *spirituale*; ejus enim *intercessio* quâ talis præcisè, *vel facta mihi notitia* de vacaturo beneficio, reverà est quid merè temporale; ergo solum est permutatio temporalis, pro temporali. An autem propter periculum, vel justam suspensionem avaritiæ, ac turpis quæstus, adsit simonia juris tantum Ecclesiastici? constabit ex dicendis.

381 Aliud est, si Episcopus Vicario, vel alteri suo in spiritualibus ministeriis substituto, vel etiam Procuratori suorum negotiorum, cui aliàs teneretur dare annuum stipendium, hujus loco conferat beneficium Ecclesiasticum, per hoc compensans totum ejus laborem, ac se liberans ab omni debito. Nam talis collatio beneficii omnino

esset ex natura rei simoniaca; cum daretur spirituale, quo temporale, seu actio & obsequium alterius pretio æstimabile, deberet compensari. Similis casus simoniæ condemnatus habetur c. *Cum essent* de simonia. Et ideo, si preces, ac ejusmodi obsequia, vel intercessionem non expetantur, tanquam *compensanda dono spirituali*, seu in commutationem spiritualium, sed potius ad inflectendum animum ejus, qui conferre potest, carent labe simoniæ, ut satis clarè colligitur ex c. *Tua nos*, de simon. Quia quoties non resolvitur collatio spiritualium in commodum temporale, quo illud conferens hoc compenfer, aut ex illo inducatur tanquam pretio saltem æquivalenter tali, non est vera *ex natura rei* simonia, sic D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 5. ad 3. & complures alii. Nec obstat c. *Nemo* 14. de simonia, ubi dicitur: utrumque simoniacum esse, & poenitentem ad reconciliationem adducere, & ab illa remove, si fiat gratiâ, & favore. Nam hoc intelligitur, ubi gratia, & favor, aut quid simile (v. g. *si duxeris sororem, si hunc receperis ad religionem*) expetitur in quandam recompensationem alicujus spiritualis dati, aut dandi. Sic D. Thom. cit. a. 5. ad 3. & multi alii.

Hinc colliges 6. non quodcumque munus à manu, obsequio, vel linguâ, etiam eo animo datum, ut concilietur, & inclinetur animus ejus, in cujus potestate est, obtinere aliquod beneficium Ecclesiasticum, aut præstare aliquod spirituale, hoc ipso statim esse simoniam *ex natura rei*. Nam 1. ubi accipitur temporale in alimenta, & præstatur spirituale citra animum hoc per illud appetendi, compensandi &c. Simonia non est ex natura rei, ut rectè notat Castropal. cit. p. 3. D. 3. p. 4. modò per hoc non intendas collatorem obligare aliâ obligatione, quàm merè antidotali seu puræ gratitudinis, nec temporale des cum intentione illud commensurandi cum re spirituali; nam sine hoc non stat simonia, quæ quâ talis sit ex natura rei. Sic Castropal. cit. à n. 4. & complures alii.

Quæres, an, si quis ad quæstionem initio n. 380. propositam, contra Navarrum diceret, in illis casibus *non fore simoniam, saltem ex natura rei*, eo ipso negaret esse simoniam non tantum *juris naturalis*, sed etiam *Ecclesiastici*? affirmativam sic probavit quidam Theologus: particula *saltem*, est implicativa apud Barbof. dictione 355. atque adeo

adeo sicut, si allata propositio esset *affirmativa*, præter expressam simoniam juris naturalis, includeret simoniam juris positivi; ita *negativa* præter expressè exclusam simoniam juris naturalis, implicite excluderet simoniam juris positivi, contra ferè omnes DD. teste Castropal. p. 3. tit. 17. D. 3. punct. 11. n. 4. ad mentem D. Thom. 22. q. 100. art. 2. ad 5.

Verum hoc non sequitur; dato enim, quòd hic locus esset particulæ implicativæ; non tamen rectè inferitur, quòd *negativa* excluderet utramque simoniam, licet daretur, quòd *affirmativa* includeret utramque; si enim negativa ponitur, contradictoria affirmativæ, non debet negare *utrumque* copulativè, sed *vel hoc, vel illud*, ut docet dialectica. Alias enim duæ contradictoriae essent falsæ, quòd implicat; nam dicenti: *Petrus, & Paulus currit*, non contradicit hæc negativa, *nec Petrus, nec Paulus currit*: (sic enim *currente solo Petro*, ambæ essent falsæ) sed *per negativam disjunctivam*, vel *Petrus, vel Paulus non currit*; aut vel non est simonia juris naturalis, vel non est simonia juris positivi, ergo non excludit utramque.

§. 4.

An, & qua actiones propter speciem simoniae prohibita sint?

383 **C**um non rarò contingat in praxi, dationes, & receptiones *reverè* simoniacas, *vestiri*, ac *palliari* specioso quodam nomine (v.g. *donationis merè liberalis*, compensationis, seu *recognitionis* purè gratuitæ &c.) consequenter ad declinandas simoniacorum poenas coram homine (nam Deus, qui intuetur cor, falli non potest) prætantur, ejusdem tituli, nullam simoniae speciem præferentes, ideo ad *palliatam* ejusmodi simoniam penitus abolendam, Ecclesiastico jure plura constituta sunt. Pro quo not. 1. quæri posse, *an Ecclesia possit prohibere donationes rerum temporalium merè gratuitas, & parè liberales, faciendas illi, qui dat, vel dedit aliquid spirituale, aut illi annexum?* Possè fieri ab Ecclesia hanc prohibitionem, tenet Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 49. à n. 1. & certum esse affirmat Castropal. cit. p. 5. à n. 1. Gibalin. de simon. q. 18. consecr. 2. n. 2. & alii. Ratio est, quia reverè quilibet Legislator (consequenter etiam Ecclesia) justissime prohibere potest non tantum ea,

Tom. V.

quæ in se mala sunt; sed ea etiam, quæ recto ejus judicio, mali periculum, aut speciem afferunt. Nam ad rempublicam Christianam rectè gubernandam ad animæ salutem, atque adeo ad vitam præsertim hominis Christiani, maximè pertinet, ab omni specie mali abstinere, ut ait D. Paul. 1. ad Thessalonic. 5. ibi: *ab omni specie mali abstinere*: quòd autem donationes etiam liberales, & compensationes gratuitæ, quæ fiunt sub nomine liberalitatis, vel gratitudinis in collationibus beneficiorum, & aliis spiritualibus, reverè frequenter habeant periculum, & speciem simoniae; imò sæpius vera *simonia* sint, ac *donationes solo pallio nominis*, perquam certum est, ergo.

Not. 2. quando Ecclesia prohibet aliquem actum *titulo simoniae*, seu irreverentia, quam continet permutatio temporalium cum spiritualibus, vel econtra, transgressionem continere malitiam simoniae. Nam quando Ecclesia prohibet aliquem actum ex fine alicujus virtutis, tam observantia, quam transgressio talis prohibitionis ponitur sub specie talis virtutis, vel vitii ei oppositi, ergo quando Ecclesia prohibet aliquem actum ex fine Religionis, in quantum ea inclinatur, ac præcipit præstandam reverentiam rebus spiritualibus, seu naturâ suâ, vel alio legitimo titulo ad finem supernaturalem ordinatis; atque adeo consequenter prohibet horum appetitionem cum temporalibus; tam observantia, quam transgressio talis prohibitionis ponitur sub specie Religionis, quæ prohibet talem irreverentiam; in hoc enim est malitia simoniae; ergo talis transgressio continet malitiam simoniae.

Ex hoc inferes donationes temporalium merè liberales, compensationes merè gratuitas factas, vel faciendas illi, qui præstat spiritualia (*qua prohibita sunt ab Ecclesia propter periculum, vel speciem simoniae*) continere malitiam simoniae. Nam transgressio legis prohibentis alicujus actus commissionem propter irreverentiam, quæ relucet in appetitione rei spiritualis facta cum temporali, continet malitiam simoniae, ex num. præced. sed illæ donationes tales sunt, ut ponit casus; ergo. Ita Suarez supra relatus cum Castropal. cit. p. 5. n. 1. & alii.

Dices 1. lex, quæ fundatur in præsumptione, non obligat in casu, quo præsumptio est falsa. Nam præsumptio cedit veritati; sed lex Ecclesiæ, prohibens illas dona-

K 2

dona-

donationes merè liberales, procedit ex sola præsumptione, quod secum ferant periculum, & speciem mali simoniaci; ergo ubi ea præsumptio falsa est, ea lex non habet locum; sed sæpius contingere potest, quod ea præsumptio in donationibus merè liberalibus falsa sit: ergo. R. majorem sic indefinitè probatam, non videri admittendam. Nam constitutio annullans professionem religiosam, emissam ante completum decimum sextum annum ætatis, fundatur in præsumptione nondum sufficientis maturitatis, & iudicii ante illam ætatem, ad perpetuò se obligandum pro tali statu, ut dicunt multi: & tamen, esto in professio ante illam fuisset sufficiens maturitas, & iudicium ad perpetuò se obligandum pro tali statu, professio non tenet, & sic, in multis aliis. Hinc

387 Respondent alii, disting. ma. lex, quæ fundatur in *præsumptione solius facti*, non obligat, in casu, quo præsumptio falsa est; C. in *præsumptione probabilis periculi*. N. ma. Hinc volunt, legem Ecclesiæ prohibentis ejusmodi donationes, & remunerationes, in certis casibus, non fundari in præsumptione facti, sed probabilis periculi, pactionis simoniacæ, scandali &c. alii dicunt, dari quasdam leges, quæ de certis actibus, propter bonum commune, ad cavendam indecentiam in illis casibus, vel saltem periculum, aut ejus speciem, fictione juris interveniente, quoad effectus juris, disponunt perinde, quam si re ipsa facti essent, ut exposuimus alibi; nec eas, licet in aliquo casu particulari re ipsa non interveniant, ob id deficere, aut cessare. Huc respexisse videtur Cardenas, quando in tractatu ad propositiones ab Innoc. XI. prohibitas, disert. 27. c. 4. a. 1. n. 76. ad object. in n. 386. respondet dicens: *legem fundatam in præsumptione, etiam falsa, non cessare, quando intuitu indecentiæ, nocu- menti, aut alterius gravis inconvenientis, condita est.* Nam commune bonum, in eo casu legislatorem obligat, ad id per leges suas præcavendum; at hinc est ille casus: ergo.

388 Dices 2. ejusmodi donationibus, ex hoc, quod præsumantur fieri animo simoniaco, aut saltem asserant ejus speciem, aut periculum, non convenit definitio simoniacæ; ergo non sunt simoniacæ. R. solum sequi, dictis donationibus non convenire definitionem *simonia ex natura rei talis formaliter*; non autem *talis ex indecentia*, quam asserit speciem mali, & periculum, quod regulariter

annexum habet. Alia igitur est definitio simoniacæ *sumpta a solum naturaliter*; alia *sumpta Ecclesiasticè*. In moralibus autem, definitiones rerum, accipiendæ sunt secundum eam rationem, quam important res non tantum ex rei natura, sed etiam ex Ecclesiæ dispositione. Alias *facere peccatum grave*, ac *voluntariè se conicere in proximum morale periculum talis peccati*, non habent eandem moralitatem formalem, seu malitiam ad culpam imputabilem. Simonia autem Ecclesiasticè definita non tantum est voluntas studiosa *emendi in re pro temporali spirituale*; sed etiam, studiosa voluntas, *transiens in æternum opus, qua refert speciem talis mali*. Sic respondere Patrem Suarez tenet Cardenas cit. n. 78. Et quamvis verum sit, quod Ecclesia non possit *mutare naturas rerum*, consequenter, ut *sit simonia, quod simonia non est*; ex hoc tamen duntaxat sequitur, fieri non posse, ut Ecclesiæ constitutione sit *simonia juris naturalis, & divini*, quod in se simonia non est; non autem quod non sit *simonia juris humani seu Ecclesiastici*; alias enim, quæ antecesser non erant naturaliter prohibita propter reverentiam SS. Eucharistiæ (v.g. non sumere Eucharistiæ non jejunum extra casum necessitatis, & plura similia) consequenter ante prohibitionem Ecclesiæ non habebant *malitiam sacrilegii*, nec habent post ejusmodi prohibitionem, quæ sequela nullatenus concedi potest; idem est de omissione adhibendi modicum aquæ pro materia consecrationis; & plurimis rebus, jure humano præceptis, & vetitis, ut patet consideranti.

S. 5.

An qualibet donatio, mere liberalis, titulo simonia, ab Ecclesia sit prohibita?

Cardenas cit. a. 2. n. 81. censet donationes merè liberales, non tantum in *provisionibus beneficiorum*, sed etiam *pro susceptione ordinis*, ab Ecclesia prohiberi tanquam simoniacas. In prima parte consentiunt ei plures, ut dicemus n. 390. in secunda videtur, quoad aliquas solum ejusmodi donationes, pro illo stare Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. de simon. c. 49. Secundam autem partem probat Cardenas 1. ex Trid. sess. 21. c. 1. de Reform. ibi: *Pro collatione quorumcunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponse*

sponte oblatum, Episcopi, & alii ordinum col-
latores, aut eorum ministri quovis prætextu
accipiant; circa quod decretum CC. ob-
servat, eam donationem quantumvis libe-
ralem, in ministracione, vel suscepcione
ordinum, prohiberi à Concilio; quia con-
tinet, seu facit *suspicionem simoniae*, nimirum
contractus onerosi (ut temporale detur pro
spirituali) quem sacris ordinibus ipsum
Concilium iudicat *indecentem, & irreveren-*
tem; & ideo prohibet, ut liquet ex proce-
mio, ibi: *quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis*
avaritia suspicio abesse debet. Ex quo colligi-
tur talem donationem ob indecentiam, &
irreverentiam annexam, *censeri æquivalen-*
ter contractum onerosum, quo temporali
mensuretur spirituale. Deinde idem Con-
cilium sess. 24. de Reform. c. 18. De his,
qui examinant aspirantes ad beneficium
Parochiale, sic loquitur: *caveant, ne quic-*
quam prorsus, occasione huius examinis, nec
ante nec post, accipiant. Alioquin *simoniae vi-*
rium, tam ipsi, quam alii dantes dicuntur in-
currissè. Ubi not. quod non dicat Conci-
lium, nihil accipiant *pro examine*, sed *occa-*
sione examinis; ubi aperte excludit acce-
ptionem non tantum *pro labore* (quod vi-
detur importare acceptionem onerosam)
sed *omnem*, consequenter etiam merè libe-
ralem *occasione examinis*.

390 Castropalaus autem p. 3. D. 3. p. 5. n. 6.
docet *extra materiam beneficiorum*, nullam
donationem *merè liberalem*, & gratuitam,
in recipiendo sacramento, vel aliis spiritua-
libus, tanquam *simoniacam*, seu ex fine Re-
ligionis, esse ab Ecclesia prohibitam, prohi-
bitione stringente conscientiam, esto con-
cedat in foro externo, ex præsumptione
habendam pro tali. Sententiam suam fir-
mat dissolutione contrariorum textuum,
qui afferri solent, citans pro se P. Suarez
tom. 5. in 3. p. D. 31. sect. 4. n. 23. Less. tr.
2. c. 35. d. 10. n. 61. &c. Ad textum n. 389.
desumptum ex Trid. Sess. 21. c. respondet,
si ea munera *spontè dentur, & non in commu-*
tationem, nullam esse simoniam etiam iure
Ecclesiastico; quia finis, ob quem hæc
omnia prohibet Concilium, non est *simonia*,
sed *affectus avaritiæ*; quem eà prohibitione
caveri vult Tridentinum. Ad alterum ex
eadem sess. 24. c. 18. respondet, ibi nullum
verbum esse, quod prohibeat *donationem li-*
beralem, imò neque illam, quæ daretur in
stipendium. Et quoniam sumus in re tam
gravi, qualis est vitium simoniae, poenis gra-

vissimis subjectum, consequenter odiosa,
quoad fieri potest, mitius interpretandum
est decretum in hoc casu, præsertim, cum
textus (ut patet in margine) se referat ad
alium canonem, in quo *sola receptio pecuniæ*,
propter ordinis examinationem, tanquam
pro ipsius commutatione, & pretio prohi-
betur.

Antequam mentem nostram in hoc 391
puncto dicamus, not. 1. in c. 1. de simonia
expressè prohibitum esse, pro ordinatione,
datione pallii, chartis, vel pastellis ab ordi-
nando, vel ordinato, dari aliquid tempora-
le; quod secundum omnes procedit, *si hoc*
fiat ad exactionem, & non omnino spontè;
ex quo sequitur ab ordinandis, vel ordina-
tis aliquid *commodi appellatione, exigere*,
omnino ab Ecclesia prohibitum esse. Ubi
adverte 1. in textu clarè exprimi *dationem*
pallii, quod confertur Archiepiscopis, de quo
plura vide apud Gonzal. in c. 1. h. t. n. 2. Ad-
verte 2. per *chartas*, seu *traditionem chartarum*,
ibid. intelligi expeditionem literarum ordi-
nationis, quas ordinati à suis ordinatoribus
accipiunt. Adverte 3. Postquam tempori-
bus Gregorii Magni, & antè, & ab ipso etiam,
tot legibus cautum esset, ne aliquid pro or-
dinibus conferendis ab ordinante acciperetur,
fuisse inductam consuetudinem, ut no-
mine pastus, seu pastelli aliquid exigent;
& hanc consuetudinem in eodem c. 1. ex-
primit, ac denuo prohiberi. Et quamvis in
cit. c. 1. sermo sit de ordinatione *Episcopi*,
universim tamen id jam procedere de qua-
vis ordinatione, imò & collatione primæ
tonsuræ, constat ex n. 389. Neque dubium
est, omnem dationem, vel acceptionem
rei, quæ affert temporale commodum, *fac-*
tam ad exactionem, vel petitionem ordina-
ntis, aut Ministrorum ejus, occasione ordina-
tionis, prohibitam esse ab Ecclesia, ut liquet
ex innumeris juris textibus apud Gonzalez
citat.

Dixi *factam ad exactionem, seu petiti-* 392
nem; nam de hoc expressè loquitur cit. c. 1.
de quo supra, & passim in aliis canonibus c. 1.
& seq. 1. q. 1. Difficultas autem est *de do-*
natione merè liberali, an ea reverà prohibita
sit ab Ecclesia, si fiat *occasione sacrorum ordi-*
num sive ab ipsis Ordinantibus, sive ab eo-
rum Ministris? hanc prohibitionem non
negat Castropalaus, ut constat ex ejus re-
sponsonibus, cum concedat in iis decretis
avaritiam in ejusmodi datorum acceptioni-
bus respici, tanquam id, quod specialiter in

iis circumstantiis indignum sit. Id ergo, quod in præfenti negat, est, *cas donationes merè liberales ab Ecclesia prohiberi tanquam simoniacas.*

393 Probabilius tamen videtur, donationes etiam *merè liberales*, occasione ordinum ab ordinandis, vel ordinatis faciendas, vel factas, ordinanti aut ejus Ministris, *titulo simonia* prohibitas esse ab Ecclesia. Et 1. per textum Tridentini de quo n. 389. prohiberi tales donationes aperte constat, ibi: *etiam spontè oblatum*; deinde textus ejusdem Concilii in n. 591. dum ait. (*nec quicquam occasione hujus examinis*) omne datum, & acceptum excludit; igitur etiam datum, & acceptum *titulo merè gratuito*, cum de dato, & accepto *indefinitè* loquatur, & quidem in re concernente materiam Religionis, quæ omnem turpem quæstum, imo, & speciem ejus excludit. Nec obstat, quòd pro causa prohibendi allegetur *avaritia*, non *simonia*, nam hoc ipso talis *avaritia* in ejusmodi circumstantiis (ubi in collatione, vel occasione ordinum datur temporale, datione, & receptione, quam Concilium vocat *indecentem*, & *irreverentem* etiam *sacris ordinibus*, ut constat ex n. 389.) denotat *speciem mali simoniaci, seu simoniace pravitati faventem*. Cum enim ea datio, & acceptio reverà perquam frequenter fiat turpis lucri gratià, & ex hoc satis clarè referat speciem animi simoniaci, hoc est ejusdam *compensationis*, saltè *æquivalenter talis*, consequenter *quasi contractus non gratuiti*; vix enim unquam nisi temporale commodum speraretur, aut quareretur, fierent illa, & ista (nimirum collatio spiritualium, saltè eo modo, quo fiunt) nisi fiat textui violentia, explicari debere non poterit, nisi prout notat ipsum Tridentinum in n. 389. in fine, prohiberi scilicet, *propter vitium simonia, ceteroquin incurradum.*

394 Hinc quando dicitur, *quod prohibetur titulo avaritiæ, non prohibetur ab Ecclesia titulo simonia*, distinguendum est, quod prohibetur titulo avaritiæ (in quantum non explicat *specialem indecentiam, ac irreverentiam, quæ fit sacramento Ordinis* in donatione rei temporalis occasione spiritualium) non prohibetur ab Ecclesia titulo simonia C. secùs, N. at, *etiam spontè oblatum, occasione ordinum, accipere*, prohibetur ab Ecclesia *titulo avaritiæ*, non utcunque, sed *in quantum explicat specialem indecentiam, ac irreverentiam sacramento Ordinis*, quæ fit etiam

sponte oblato temporali pro, vel occasione illius sacramenti, ut constat ex n. 389. ergo. Et ex hoc patet ad rationem in contrarium. n. 390. Ad alteram ibidem (qua dicitur cit. loco *non esse verbum in eo decreto de donatione merè liberali*) similiter distinguitur: non est ullum verbum *explicitè, vel implicitè, vel etiam illativè*. N. *explicitè*, trans. Nam ut ex eo textu rectè inferatur, datam inibi prohibitionem loqui de donatione etiam *merè liberali*, sufficit ibidem indefinitè prohiberi, *quidquid datur vel accipitur occasione ordinum* collatorum, vel conferendorum, & receptorum, vel recipiendorum, etiam spontè oblatum; at sic est ex n. 389. ergo.

Præter hæc not. 1. etiam donationes 395 merè liberales, in materia beneficiorum, tanquam simoniacas, vel pravitati simoniacæ faventes, ab Ecclesia prohibitas esse, ut dicemus à n. 397. Not. 2. prædictam prohibitionem de donatione merè liberali occasione ordinum, extendi etiam *ad Ministros Ordinantium*; quod tamen intelligendum venit juxta dicenda n. 534. Not. 3. cum diximus prohiberi omnem donationem occasione Ordinum exactam, vel petitam debere intelligi secundum n. 338. Ex dictis tandem concluditur, omnem dationem temporalium, *occasione Ordinum*, non tantum onerosam, sed etiam merè liberalem, jure Ecclesiastico interdictam esse titulo simoniæ, non tantum ordinatis, & ordinantibus, sed etiam horum Ministris.

§. 6.

An Simonia juris tantum Ecclesiastici sit verè, ac propriè Simonia?

Dationem, & acceptionem tempora- 396 lium pro spiritualibus, vel occasione illorum, solo jure Ecclesiastico prohibitam, esse verè, ac propriè simoniam, affirmat Suarez de Relig. tom. 1. l. 4. c. 7. & c. 29. propterea, quia illi convenit definitio simoniæ; negat Layman L. 4. tr. 10. c. ult. n. 66. Tannerus tom. 3. D. 5. de Relig. q. 8. dub. 2. n. 30. quia reverà in dato casu non intervenit *commutatio rei spiritualis pro temporali*: prohibetur tamen ab Ecclesia, tanquam simonia, nimirum ob reverentiam rebus spiritualibus, & ad hæc pertinentibus debitam, ratione cujus reducuntur ad simoniæ pravitatem. Ita Pirhing de simon. n. 6. sed

sed ad horum rationem facile respondetur, dicendo secundum dicta n. 388. ad simoniam, cui verè conveniat ejus definitio, sufficere, quod ea datio, vel acceptio temporalium *in*, vel occasione spiritualium continent commutationem, & pretium *aequivallenter tale*; sed hoc verificatur in omni ejusmodi datione, & acceptione per Ecclesiam prohibita, ut ostensum est in praecedentibus, praesertim n. cit. ergo.

Cœterum rectè dici potest 1. illas dationes, & acceptiones rerum temporalium, seu pretio aestimabilium, quæ fiunt *in*, vel occasione spiritualium, aut annexorum (quæ prohibita sunt jure tantum Ecclesiastico) non esse simoniam verè, ac propriè ex natura rei, seu ex se, & secluso omni jure humano; esse tamen verè, ac propriè simoniam, quoad malitiam ad culpam imputabilem, & in quantum ejusmodi actus subjiciuntur poenis in simoniacos jure humano constitutis ab Ecclesia. Neque novum est, aliquem actum ex natura rei, & ex se non malum, evadere formaliter malum, & ad culpam imputabilem, si fiat liberè à sciente, illum esse prohibitum lege solius Ecclesiae ex fine certæ virtutis, ut passim tradunt Theologi in tract. de actibus humanis, & patet ex plurimis legibus jure solùm Ecclesiastico inductis, de jejunio, horis canonicis, audiendo sacro &c. Cum ergo rebus sacris, & spiritualibus magna fiat irreverentia per *appretiationem seu commutationem earum, vel formaliter, vel æquivallenter talem cum temporalibus*, atque adeo talis commutatio habeat specialem malitiam, nequit non illam contrahere actus liberè factus à sciente prohibitionem Ecclesiae titulo reverentiae specialis in hoc debita spiritualibus.

397 Cum autem certum sit, pro dispensationibus matrimonialibus, & aliis; item pro collationibus beneficiorum; propter uniones Ecclesiarum, & similia, exigi à Curia Romana annatas, quindennia, & similes quandoque valde amplas pecunias; multis hæc dubitatio movetur, qualiter hæc fieri possint sine simonia? Sed respondet Prosper Fagnanus mox citandus, in Curia Romana non committi simoniam in his, quæ simoniaca, seu mala sunt, quia prohibita tanquam simoniaca, seu quando simonia est juris tantum Ecclesiastici, si fiant sciente, & auctorizante Pontifice; secus in his, quæ sunt prohibita, quia mala, seu quæ continent simoniam juris naturalis, & divini; quia in

jure Ecclesiastico dispensare potest Pontifex; ita ille in c. *Cum pridem*, de pactis à n. 63. & in c. *Præterea*, ne Prælati vices suas à n. 97. Hoc verum judico, quando non exceditur quantitas pretii, ad quam se extendit dispensatio, non autem si plus exigatur, quàm dispensatio Papæ concedat.

ARTICULUS III.

De Simonia, quæ committitur in venditione rerum spiritualium in particulari.

Supponendum, nos hîc loqui de venditione, vel emptione rerum spiritualium, quales sunt sacramenta, res consecrata, benedicta, vel aliqua ratione spiritualibus, naturâ suâ, institutione, vel Ecclesiae ordinatione ad finem supernaturalem, ac animæ salutem ordinatæ, sumendo emptionem, & venditionem pro quolibet contractu, seu quasi contractu, non gratuito saltem æquivallenter, & favente simoniacæ pravitati, in quantum subjicitur poenis ab Ecclesia in simoniacos statutis. Hinc

Quæstio est 1. An, & qualem simoniam committat emens, & vendens sacramenta? R. vendere Eucharistiam, seu hostiam consecratam, quæ talem, esse simoniam juris divini, & naturalis, seu intrinsicè malam. c. *nullus Episcopus*. 1. q. 1. quod intellige non tantum si vendantur species consecrata; sed etiam actus consecrandi, vel ipsum signum sacramentale, & significatum. Ratio est ex dictis, quia verè est imitator simoniaca fraudis, ut dicitur cit. c. *nullus*. Et hoc procedit etiam de aliis sacramentis à Christo institutis, eorumque collationibus, ut dicitur in c. *Cum in Ecclesia*. 9. h. t. ubi dicitur *strictius prohibetur dare, vel accipere aliquod pretium exactum, pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis sacramentis conferendis, seu collatis*; & additur: si quis autem contra hoc venire præsumperit; *portionem cum Giezi se noverit habiturum*, ubi notat Gloss. V. *Giezi* hunc primò in veteri testamento simoniam invenisse, ac propterea leprâ percussus 1. q. 1. c. *Qui studet*; & c. *Citò turpem*. In particulari autem de sacramento ordinis idem procedere constat. 1. ex dictis. & 1. q. 1. c. *quicumq;* 2. c. *quisquis* 5. c. *si quis*. 8. & seq. de Sacramento Baptismi. 1. q. 1. c. *Baptizandis* 99. c. *Placuit* 102. & 103. item

item c. *dictum* est. 105. ubi prohibetur pro perceptione Chrifti numos dari; similiter pro Baptismo, & communione, ordinatione, balsamo, aut sepultura quicquam exigi; eò quòd sacra Synodus tanquam *semen simonicae hæresis* id detestetur. Ex quo colligitur idem ibidem statui de Sacramento Confirmationis, de sacra communione, seu Eucharistiæ distributione; & iterum 1. q. 1. c. *Nullus Episcopus* 100. de Sacramento Poenitentia, in c. *Nemo* 14. h. t. de extrema Unctione c. *fin* 1. q. 3. Circa matrimonium aliqui Canonista dubitarunt; sed si vendatur matrimonium, *in quantum est sacramentum*, non dubium est, committi simoniam intrinsecè malam, ut constat ex c. *quidquid* 1. q. 1. ubi hoc generaliter, de omnibus sacramentis definitur. Secus est, si detur aliquid pro illo præcisè, in quantum est contractus civilis. Ita Suarez cit. c. 10.

400 Contra primam partem hujus resolutionis de matrimonio adducitur 1. c. *Communib* 32. q. 2. & c. *Honorentur*, ead. in quibus videtur contrarium definiri; sed in primo solum est sermo de usu matrimonii, non de vinculo; & in secundo solum de conjugio Rebecca, quod non fuit Sacramentum. Not. tamen; cum in præmissis dicimus committi simoniam *juris naturalis, & divini*, debere intelligi. 1. cum intervenit saltem æquivalenter *appretiatio*, seu commutatio Spiritualium cum re temporali; nam sine hac non stat simonia *juris naturalis, & divini*; præsertim, cum etiam sacri canones allati ad prædictos casus, loquantur de casu, quo *pecunia*, vel *pretium* intervenit saltem æquivalenter tale. Not. 2. debere intelligi, si prædicta spiritualia, vel illis annexa veniant in commutationem, *in quantum talia sunt*, consequenter sumpta reduplicativè, ut exposuimus à n. 352. Nam in casu, quo spirituale, vel illi annexum, sumptum solum materialiter, ac specificativè in commutationem venit, dicemus quæst. seq.

401 Quæstio est 2. an sit simonia juris Divini vendere materiam rerum spiritualium? in hac quæstione distinguendum est, an materia illarum vendatur, dum est conjuncta formæ, à qua formaliter habet *esse spirituale*, hoc est annexum spirituali, vel ordinatum ad illud? an, cum est separata ac nondum sacramentalis? Secundo, an *titulo spiritualitatis* vendatur carius, vel solum eo pretio, quod res habet eo titulo secluso. Et

quidem si materia Sacramentorum, aut aliorum spiritualium appetitur amplius, titulo Spiritualitatis, consecrationis, benedictionis, vel annexionis ad Spiritualia, non est dubium, committi simoniam juris naturalis & divini. Sic enim fit appretiatio rei spiritualis cum temporali, quæ spiritualis est, quod formaliter continet irreverentiam, in qua sita est ratio simoniae ex natura rei, quæ talis, ut dictum est n. 330. his positis:

Dubitatur 1. an sit simonia juris divini, 402 vendere materiam Sacramentorum? Communis responsio est negativa, loquendo de materia remota Sacramenti, cujusmodi est *panis, vinum, aqua, oleum* &c. Nam hæc secundum se, est quid merè materiale; secus de materiâ proxima, nimirum actionibus concomitanter annexis spirituali, cujusmodi sunt *ablutio, unctio, prolatio verborum* &c. Nam hæc, qua tales, formaliter spirituales sunt, nimirum ordinatæ ad finem supernaturalem; ergo si quæ tales venirent in appretiationem cum materiali, earum emptio, & venditio propriè, ac ex natura rei foret simoniaca per n. 330.

Dubitatur 2. an sit simonia *juris divini* 403 vendere rem consecratam, ratione materiae illo pretio, quo veniret non consecrata? Negativè responderet Zoësius h. t. n. 10. ubi dicit, ejusmodi materiam, secundum se spectatam, non esse materiam simoniae juris naturalis, quia, ut talis considerata, est quid merè temporale; sic usus habet, inquit ille, cereas imagines benedictas (*agnos Dei* vocant) sine piaculo vendi. Est tamen prohibitum ejusmodi materiam ad usum profanos adhibere, propter ejus reverentiam, nec sine labe simoniae pretium ejus augeri posse ratione consecrationis. Ita ille loc. cit. ubi etiam textus contrarios rectè exponit.

Dubitatio est 3. an sit simonia *juris Di-* 404 *vini* vendere Sacramentalia? Per hæc intellige sacras caeremonias, seu ritus ab Ecclesia institutos pro sacrificio Missæ, & administratione Sacramentorum, ex quibus aliqui consistunt in actione habente effectum *transeuntem* (ut benedictio nuptiarum) quidam *permanentem*, ut consecratio calicis, benedictio aquæ, olei &c. quibus positis: R. vendere ipsos actus (v.g. *benedicendi, consecrandi* &c.) esse simoniam juris divini, cum sint actus annexi ordini; quod etiam intelligitur de rebus consecratis, benedictis in concre-

concreto juxta n. 352. si autem sermo sit solum de rei consecrata materia secundum se constat ex n. 403.

405 Dubitatio est 4. an sit simonia *juris Divini* aliquem pretio inducere ad ministranda Sacramenta? *Re.* si minister tibi in extrema, vel gravi necessitate nolit ministrare Sacramentum v.g. *Baptismum*, nisi pro pecunia, non esse illicitum dare pecuniam, non quidem, ut *pretium actionis* praestanda; sed, ut medium consequendi, tanquam finem, debitum ministerium à Ministro Sacramenti, vel removendi obicem, seu ipsius injustam reluctantiā. Ita Suarez de simon. l. 4. c. 12. n. 13. extendens hoc etiam ad casum, quo quis indigeret sacro viatico. Nam sic in re intervenit pretium duntaxat pro remotione impedimenti, quæ non est quid spirituale. Hoc confirmari potest ex doctrina Toleti, qui l. 5. c. 98. n. 8. cum Suarez l. 8. c. 12. n. 19. docet licitum esse, obligatum ministrare Sacramenta, moveri, ac incitari justis minis, & terroribus (v.g. comminando denuntiationem apud legitimum Superiorem) ad hoc, ut ministret petenti Sacramentum; ergo pariter licebit movere, ac inclinare bonis, & muneribus; cujus ratio est, quia in neutro casu intervenit commutatio rei spiritualis, cum temporali. Sed not. hoc limitari communiter ad casum necessitatis, ubi scilicet urget necessitas recipiendi Sacramentum; non autem, ubi solum foret utilitas; eò quod præsumeretur in tali casu intervenire *permutatio*; saltem ex parte Ministri, contumaciter negantis Sacramenti ministracionem, oblato pretio contumaciam deponentis, prout reverà sæpe contingit, ubi visà pecunià statim condescendit Judex vel Minister in ea, quæ cæteroquin negasset.

406 *Re.* tamen, si dans temporale in illo casu, intuitu solius utilitatis spiritualis, quam perciperet, si sibi ministraretur tunc Sacramentum, externè manifestaret hanc ipsam suam bonam intentionem, se dare solum animo, ut fleat minister ad deponendam illam voluntatis contumaciam, non fore actionem simoniacam, etiam præsumptam; nec illicitam. Sic Castropal. cit. p. 3. de simonia D. 3. p. 7. n. 4. Non enim esset actio simoniaca *jure*; quia reverà non daretur pretium pro spirituali, sed tantum pro depositione contumaciae in Ministro. Non esset etiam simonia *presumptione*; nam, cum hæc nitatur solum in facto pravae intentionis in dante; in præsentem vero constat de veritate oppositi; cum exter-

Tom. V.

nè sufficienter manifestet suum rectum animum, præsumptio cedit veritati. Nec etiam petendo Sacramentum, & dando pretium, quod iniquo animo alter accipit, illius pravitati cooperatur; cum possit actionem petitam exercere sine tali pravo animo, & pretium recipere non animo illo pravo, sed recto. v.g. tanquam medium sustentationis.

Dubitatio est 5. qualiter Sacramentalia, 407 quæ habent effectum permanentem, sine simonia vendi possint? cum enim certum sit, quandoq; calicem consecratum emi, & vendi, item sepulturas, Capellas, Ecclesias, etiam benedictas, vel consecratas: contra in sacris canonibus, præsertim c. *Si quis objecerit* l. q. 3. tam spirituale, quàm corporale in ejusmodi Sacramentalibus prohibeatur vendi: *quia quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; merito dubitatur, qualiter hæc à simonia excusati possint. Ante resolut. not. distinguendum esse, ad quem usum ejusmodi res sacrae, seu sacramentalia vendantur? an ad usum similiter sacrum apud eumentem? an ad usum profanum? secundò, an res istæ antecedant benedictionem, vel consecrationem sic, ut ratio spiritualitatis solum consequenter illis annectatur; vel an illa rationem spiritualitatis subsequantur: Nam in calice consecrato materia calicis habet se antecedenter ad consecrationem; & hæc ad illam consequenter; contra beneficium, seu jus percipiendi redditus propter officium spirituale, habet se consequenter ad hoc, & istud antecedenter ad illud; quibus positis:

Re. 1. si ejusmodi res corporales, vel quæ 408 antecedunt benedictionem, vel consecrationem, titulo benedictionis, consecrationis, vel annexionis, quam habent cum spiritualibus, vendantur, & emantur *carius*, quàm valeant secundum se committi simoniam juris divini, ut est extra dubium, & constat ex n. 401. *Re.* 2. nò esse simoniã juris naturalis & divini, vendere res spirituales solum annexivè tales, quæ se antecedenter habent ad annexionem, v.g. benedictionem, vel consecrationem, si titulo spiritualitatis non vendantur *carius*, quàm valeat illa materia antecedens annexionem ad spiritualia. Ita D. Th. in 4. dist. 25. q. 3. a. 3. ad quaestione. 3. Suarez lib. 4. hic c. 14. n. 6. & alii communiter. Ratio est, quia in tali casu spiritualitas illi rei nullo modo venit in appretiationem cum temporali. Not. tamen quando ejusmodi res annexivè spirituales (v.g. *calix consecratus*) venduntur

L

duntur ad usum denuò sacrum, pretio non excedente solùm valorem materiæ secundùm se, integrè vendi posse; si autem ad usum profanum, non licere venditionem *vasis integri*, hoc est, in ea qualitate, quâ stante adhuc retinet benedictionem, vel consecrationem. Nam res semel Deo dicata ad usus profanos (hoc est usus *seculares*, seu *secularium personarum*) redire non debent, ut dicitur c. *Semel*, § 1. de Regul. Jur. in 6. junct. gloss. V. *humanos*; de quo pluribus agitur in Tit. 48. l. 3. de Eccl. edif. vel reparand.

409 Nec obstat c. *si quis objecerit*, de quo n. 407. Nam ibi non agitur de rebus, quæ antecedunt annexionem ad spiritualia, seu benedictionem, vel consecrationem, à qua formaliter evadunt spiritualibus annexa; sed de his, quæ consequuntur ad ipsa spiritualia, ut est *beneficium Ecclesiasticum*, quod datur propter officium, seu ministerium spirituale. Nam, cum illud nullus obtinere possit *canonice*, nisi electione, collatione, vel institutione; vel simili modo; & hæc inseparabiliter annexum habeat officium spirituale, sic, ut illud in nullo esse possit, nisi illud antecedit, rectè dicitur, vendito corporali, saltè consequenter vendi spirituale. Exponi etiam potest cum Valentia 2. 2. D. 6. q. 16. p. 2. per illud c. nihil aliud intendi, quàm illicitum esse, vendere rem annexivè spiritualem, etiam secundùm esse corporale solùm, quando id secundùm se, & independentè ab eo spirituali, nullam habet æstimabilitatem; nam tunc necessariò in appretiationem venire deberet ipsa ratio spiritualitatis, & consequenter vendito corporali, nec spirituale inventum remaneret.

410 Quæstio est 3. an aliquid temporale pro sepultura exigi, vel recipi possit? Viderur negandum ex c. *quæstio est* cum tribus seq. 13. q. 2. & c. *Abolenda*, de sepulturis, ubi cavetur, *ne quid pro sepultura recipiatur*. Ante resolut. not. 1. nec emi, nec vendi posse res, quæ non sunt in commercio humano, hoc est, quæ ab hominibus, tanquam propriæ, possideri non possunt; cum emprio tendat ad acquirendum dominium empti, quod non acquiritur à non valente possidere; hinc est, quod Laici nihil sacrum, quâ tale, emere possint; quia nec rem sacram, nec locum sacrum, *quæ talem* possidere possunt. L. *Qui universas* 30. §. *Possessionem*, ff. de acquirend. possess. Not.

2. *sepulturam* tripliciter sumi posse. 1. pro loco, in quo quis sepeliendus est. 2. pro *jure*, quod quis habet in tali loco pro sui cadaveris inhumatione. 3. pro *actu*, seu ritu sepeliendi. Quamvis autem jam egerimus de his lib. 3. t. 28. de sepulturis; tamen breviter etiam hic pauca dicemus de emptione, & venditione *sepulture*, prout supponit pro loco, & jure, ut in tali loco sepeliri possit, vel ipse positivè, vel etiam privativè ad alios. Nam pro *sepultura* in quantum explicat actiones cum Ecclesiastico ritu sepeliendi, alio titulo, quàm sustentationis debitæ Ministris Ecclesiæ, in quantum sacræ sunt, aliquid exigere, vel recipere, simoniacum esse constat ex dictis: quibus præmissis: R. Eum, qui habet Ecclesiæ propriam, etiam consecratam, absque simonia posse exigere, ac recipere pretium pro fundo, vel materiali loco in tali Ecclesia, quantum valet talis fundus secundùm se, & seclusà consecratione. Quia sic datur pretium pro materiali, non spirituali. Ita Suarez lib. 4. de simon. c. 14. à num. 18. Sylvest. V. *simonia* qu. 12. §. Tertio.

Dubium tamen est. 1. an possint accipere pretium non tantùm pro loco materiali, ut solvens in eo sepeliri possit; sed etiam ne alius sine suo, vel familiæ consensu ibidem sepeliatur? R. posse. Nam obligatio, quam in se recipiunt habentes talem Ecclesiæ, ut non admittatur alius in eam feudum, est pretio æstimabilis; nec est quid spirituale, nec spirituali annexum. Nam dominium illius fundi materialiter accepti secundùm se, non supponit jus, aut jurisdictionem spiritualem.

Dubium est 2. an etiam Patronus Ecclesiæ utroque vel alterutro ex prioribus titulo, possit exigere, ac recipere pretium, ut aliquem extraneum permittat ibi sepeliri? R. negativè. Patronus enim nullum jus habet in Ecclesiæ fundum; nec jure Patronatus habet, posse admittere, vel excludere cadavera mortuorum à tali fundo. Nam ad hoc nec jus Patronatus, nec jus advocatiæ porrigitur, ut diximus l. 3. de Jure Patronatus.

Dubium est 3. an idem dicendum pro sepultura extra Ecclesiæ, in cimiterio, seu loco communi, & destinato sepulturis fidelium? R. pro sepultura in tali loco nihil licitè tanquam pretium posse

posse exigi ab his, quibus ex officio incumbit præstandi defunctorum cadaveribus officium Ecclesiasticæ Sepultura. Nam id non possunt concedendo fundum; hic enim ponitur aliunde deputatus in eum finem; non etiam ratione sui ministerii, hoc enim est spirituale: non ratione usus sepultura; nam hic pertinet ad officia Ecclesiastica: ergo. Dixi tanquam pretium, seu compensationem. Nam aliud est, si quid recipiatur, vel exigatur non tanquam pretium, sed tanquam aliquid, quod ministris Ecclesiasticis debitum est ad eorum sustentationem; de quo infra à n. 417.

414 Dubium est 4. an possit recipi pretium si petatur locus dignior in Ecclesia v. g. prope altare? R. esse distinguendum. Nam de materiali loco secundum se jam constat; unde solum quæri potest, quo titulo pretium amplius; de quo est quæstio in hoc casu, exigatur, vel solvatur? an titulo majoris dignitatis? an consuetudinis? an sustentationis eorum, quorum est Ecclesia? Respondet Castropal. cit. p. 3. de simon. D. 3. p. 8. n. 4. in fine, fieri licitum, titulo sustentationis.

415 Circa præsentem, & similes casus not. 1. constare jam ex praxi, & usu recepto, quod funerales expensæ in sepulturis fiant, aliquâ illarum parte etiam Ministris Ecclesiasticis eo casu intervenientibus cedente, & titulo sustentationis, consuetudine jam receptâ. Not. 2. non quamlibet consuetudinem sufficere, ut præbeat jus exigendi aliquid ex sepulturis, quantumvis prætendatur titulus stole, ac sustentationis, nisi sit consuetudo approbata, & legitima, ut dicemus à n. 423. Nam sub hoc titulo consuetudinis, ab Ecclesiasticis gravissimi quandoq; excessus fiunt, & enormes exactiones in funeralibus, non sine gravi scandalo fidelium. Potissima difficultas est de quanto. Nam in hoc perquam frequenter contingunt graves Curatorum excessus, ut patebit ex seq. unde etiam colligenda erit resolutio hujus quæstionis de quanto.

416 Dices tamen 1. in c. quæstia sup. cit. refertur, quod ubi Gregorio Papæ contra Januarium Episcopum quæstia est quædam Mater (dicta Nereida) illum Episcopum centum solidos pro filie sue sepultura exigere, Pontifex reprobaverit ejusmodi exactionem, tanquam vitium avaritia; & ita statuerit: si quando aliquem in Ecclesia vestra sepeliri conceditis (siquidem parentes ipsius, proximi, vel heredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint) acci-

Tom. V.

pi non vetamus. Peti verò aliquid, vel exigi omnino prohibemus: ne (quod valde irreligiosum est) dicatur Ecclesie, aut vos de hominis videamini mortibus gratulari: si ex eorum cadaveribus studeatis querere quolibet modo compendium. Secundò, idem repetitur in c. Postquam. 13. q. 2. c. In Ecclesiastico immediatè sequenti ibi: Si terram vendas, in vasa aliena rei, Reus teneberis. Quare interdictum sit omnibus omnino Christianis, terram mortuis vendere, & c. Præcipiendum, ibidem: præcipiendum est omnibus secundum canonum auctoritatem, ut de sepulchris, & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant; nisi forte, qui sepelitur, virvens jusserit Ecclesia, in cujus atrio sepelitur, aliquid de suis rebus tribuere; aut etiam post mortem ipsius, illi, quibus commissum est, ejus elemosynam facere, de rebus illius aliquid sponte dare voluerint.

R. præfatos textus posse considerari, vel 417 solum in quantum sunt contra superius dicta; vel in quantum prohibent ea, quæ ultrò concedimus illicita, & prohibita, ut patet ex seq. Igitur ad c. quæstia R. omnino concedi, esse irreligiosum, illicitum, ac omnino prohibitum Curatis Ecclesiasticis, aliquid petere, vel exigere pro sepultura in Ecclesia, vel loco ad sepulturam Ecclesiasticam deputato, nisi, quod per Ordinarium, seu diocesanaum, ex conventionem cum Domino terrestri, statutum est, vel legitimâ consuetudine (de qua n. 423.) inductum, tanquam deputatum in sustentationem decentem Ministrorū, qui fidelibus, vel ex officio, vel ex privilegio, spiritualia, & his annexa ministrant. Res apertè constat ex cit. c. quæstia, & seq. in n. 416. Dixi. 1. nisi quod per diocesanaum, ex conventionem cum Domino terrestri, statutum est. Cum enim Parochiani in purè temporalibus, subsint Domino terrestri, in spiritualibus, & annexis diocesano, qui per se, vel suos sibi subordinatos, iidem spiritualia ministrat, consequenter his naturali justitiâ decens debeatur sustentatio, Ecclesiis, ac eorū Ministris conveniens conservatio; necessarium omnino est, ut occasione talium functionum illi, quibus hæc ministeria præstantur, in Ecclesiarum conservationem, & ministrorum sustentationem, temporalium subministracionem conferant, & eorum contributione graventur, mutuâ nimirum conventionem Dominorum temporalium, ne ipsorū subditi ultra modū graventur; & Ordinariorū, ne ministri Ecclesiæ justo suo stipendio defraudentur; eum incomparabiliter majora sint spiritualia, quæ ministrantur, quàm temporalia, quæ recipiuntur.

L. 2

Dixi 2.

418 Dixi 2. nisi *legitimâ consuetudine indu-
ctum sit*, ut aliquid petatur, vel exigatur,
non ut *pretium operis*; (cùm sit actus pote-
statis spiritualis) nec loci *formaliter*, nimi-
rum in quantum benedicti (sic enim fieret
permutatio rei spiritualis pro temporalis) sed
ut portionem ministri *sustentationi* ac Eccle-
siae *conservationi* destinata, *eorum potestate*,
qui taxam jure suo & definire possunt; & de-
bent. Unde omnino illicitum est, ut *ipsi
curati* taxam, seu stolam, ab Ordinario præ-
scriptam egrediantur; aut ipsi definiant, tan-
tum, & tantum sibi tribuendum esse, non
expectatâ largitione spontaneâ, quàm re-
quirunt relati canones; sed rigidâ exactione,
quandoque etiam præviâ operi, secus cada-
vera inhumata relicturi, quod sanè irreligi-
osum est, ut ait Gregorius Pontifex in cit.
c. *Questia V.* dicta à n. 333. Non licere ta-
libus Curatis *taxam stola augere, aut suo arbi-
tratu definire*, ex se clarum est; tum quia
ipsi nullum jus temporale habent in bona
Parochianorum, nec jurisdictionem tem-
poralem; tum quia statuere de beneficio,
& proventibus in sustentationem Curato-
rum, est jurisdictionis Ordinariorum, qui-
bus incumbit, ut Ecclesiarum Ministri, qui
tenentur ministrare spiritualia, ab his, qui-
bus seruiunt, temporalia recipiant in ali-
menta. Unde sicut nihil possunt ipsi, *au-
thoritate suâ* de jure beneficii Curati remitte-
re; ita non possunt *authoritate suâ* jus novum
sibi, & Parochianis onus imponere; uti
apertè colligitur ex decreto Serenissimi, ac
Reverendissimi Principis Leopoldi Guiliel-
mi, Episcopi Passaviensis, edito anno 1638.
11. Aug. quo exactè Curatis omnibus suæ
diæcesis in Austria supra Anasum de consen-
su Augustissimi Cæsaris Ferdinandi III. p. m.
præscribit taxam Parochialis stolæ, ibi:
*Daß dannhero / und zumahlen derglei-
chen Pfarrrlicher stolæ Sag / oder Limiti-
rung einigen Pfarrer / Seelsorger / und
Kirchendiener / viel weniger denen Pfar-
kindern für sich selber / oder eigenes Ge-
walts nit / sondern vielmehr / und allei-
nig denen Ordinariis, und Dioecesanis zu-
ordnen / zusehen / und zu limitiren gebüh-
ret; sonderlich / damit nicht etwan hieraus
noch mehrer Ubel, und Aergermiß bey
denen untergebenen Seelen anwachse.*

419 Ad textum in n. 416. in quantum prohi-
bent, *ne terra mortuis vendatur*, & posse
dupliciter intelligi, 1. de terra, solum *ma-
terialiter* sumpta, quæ scilicet præsupponi-

tur ad benedictionem, quâ fit locus idoneus
Ecclesiasticæ Sepulturæ; & de hoc jam con-
stat ex n. 410. & seq. deinde de terra forma-
liter, & in quantum est locus sacer; & de
hac procedit prohibitio illa, ut constat ex
n. 418. sic enim ipsum spirituale veniret in
appropriationem rei temporalis.

Duo tamen sunt adhuc quaerenda, 1. 420
qualiter sine simonia fieri possit, quod com-
muniter plus solvi debeat pro terra sepul-
turæ, etiam materialiter sumpta, præsertim,
quando ea fit in ipsa Ecclesia, vel crypta Ec-
clesiæ? 2. cui, quod tali occasione datur
pro terra materialiter sumpta, sit applican-
dum? Ad 1. R. datum, secundum quod
excedit valorem terræ materialiter sumptæ,
non posse recipi *ut pretium* (aliàs res pluri-
veniret, quàm valeat, quod est iniquum)
sed solum ut onus debitum à fidelibus ibi hu-
mandis, conservationi Ecclesiæ, vel cryp-
tæ. Nam maior loci materialiter sumpti,
considerari quidem debet præcisâ ratione
rei sacræ, sed non præcisâ *expensis in adifi-
cationem, loci ad talem usum deputati conser-
vationem* &c. Nam ex his locus materialiter,
& secundum se minus valens, evadit
æstimabilius, & pretiosior; quo attento ra-
rò fit, quod datum excedat valorem terræ,
prout sic acceptæ. Dixi *rard fit*, scilicet
æstimatio loci justè fiat, secundum quod
augefcit ex illis circumstantiis. Si enim fe-
cùs, non invenio, qualiter excessus dati, ha-
beat rationem justî pretii ad 2. R. applican-
dum Ecclesiæ, cujus est locus, qui vendi-
tur. Res enim fructificat Domino suo. Un-
de illud non possunt sibi applicare Curati,
quia nihil dant de suo; & huc pertinere vi-
detur, quod de Curatis dicitur in super. n.
416. cit. c. *In Ecclesiastico: si terram vendis*
(nimirum tibi non Ecclesiæ, pretium appli-
cando) *invasione alienæ rei; Reus teneberis*,
quod etiam verum est, ubi vendunt actio-
nes suas spiritualis potestatis; nam & illæ
non sunt suæ, ut constat ex n. 330.

Questio est 4. an sit simoniacum ven- 421
dere aliquod virtutis exercitium? R. actus
virtutum, de quibus hic sermo est, confi-
derari posse, vel in quantum afferunt utili-
tatem illos exercenti; vel ut alteri ab exer-
cente distincto. Unde dubitatur 1. an Cle-
ricus non obligatus ex officio divina mini-
strare fidelibus, possit aliquid temporale
recipere, & de illo pacisci, pro ministran-
dis divinis, seu præstandis actibus virtutum
cedentium in aliorum utilitatem? 2. an
idem

idem possit Curatus, ex officio ad ea præstanda obligatus? Antequam respondeam, not. tanquam certum pro nullo virtutis actû, cedente in alterius utilitatem, posse aliquid dari, vel recipi *tanquam pretium ejus*, ut expressè habetur c. *Cum in Ecclesia*. 9. c. *Non satis* 8. c. *ad Apostolicam*. 42. c. *Suam*. 29. de Simonia; cum enim sint revera quid spirituale, venient in appretiationem rei temporalis, quod est propriè simoniacum.

Alexander III. in c. *Cum in Ecclesia*, sic loquitur: *Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalis as perhibetur habere*, ita, ut pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis ponendis in sedem, sive introducendis Presbyteris in Ecclesiam, nec non & pro sepulturis, & exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, seu alius Sacramentis aliquid requiratur. Putant autem plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non attendentes, quod tantò graviora sint crimina, quanto diutius infelicem animam tenuerunt alligatam. Ne igitur hæc de cætero fiant, vel pro personis Ecclesiasticis deducendis in sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu benedicendis nubentibus, seu aliis Sacramentis conferendis, seu collatis aliquid exigatur, districtius prohibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, *portionem cum Ciesi se noverit habiturum*.

Innocentius III. in c. *Suam*, ita: Suam nobis Parochiani de villa Franca querimoniam destinârunt, quod Capellanus eorum pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium minus licitè pecuniam ab eis exigat, & extorqueat; quod, si fortè cupiditati ejus non fuerit satisfactum, *ne possent mortuorum corpora sepeliri, vel benedictionibus nubentium celebrari, fictitia ejus impedimenta fraudulenter opponit*; quia igitur exactiones hujusmodi sacrorum Canonum obviant institutis, discretioni vestra mandamus, quatenus dictum Capellanum, ut à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciatur, competenter moneatis; sibi (si obedire noluerit) poenam Canonicam infligentes. Idem habetur in cit. c. *Ad Apostolicam*, de quo vide n. 423.

422 Not. 2. pro divinis officiis, & obsequiis spiritualibus in utilitatem recipientium, licitè dari, ac recipi, imò & paci-

sci temporalia in debitam sustentationem ea ministrantium. Nam nemo tenetur ea ministrare adeo gratis, ut etiam stipendium debitæ sustentationis excludatur. Dignus enim est operarius mercede suâ; Et nemo tenetur propriis stipendiis militare; *sed si altari servit, de altari vivere potest*, juxta Apostolum relatum in c. *Cum secundum*, de præbendis. Laborem enim sine mercede esse, nec jus, nec natura patitur. Unde meritò Apostolus Paulus. 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si carnalia vestra meramus?* quasi diceret, non debere reputari tantum, quod Ecclesiæ Ministris debeant præstare temporalia in stipendium sustentationis, qui ab illis recipiunt incomparabiliter majora bona, præstare non valituris, nisi vicissim recipient, unde decenter vivant? ita Suarez l. 4. c. 15. n. 5. quod saltem procedit de Clerico, alias non obligato ad ea præstanda. Nam de obligato dicemus à n. 423. Ex hoc colliges 1. Regulares licitè recipere aliquid temporale in suam sustentationem ex hoc, quod comitentur funera, 2. licitè dari temporale (v. g. fundationem aliquam census annui) tum in conservationem Ecclesiæ, tum in stipendium sustentationis Parochi cum onere celebrandi certis temporibus Missas pro defunctis, anniversarium &c. Nam in his consideratur titulus temporalis, congrua nimirum sustentatio Ministrorum Ecclesiæ, & hujus conservatio.

423 Quæstio est de illis Clericis, qui aliunde obligati sunt ad exercenda divina. Nam de his quæritur, an, *si aliquid ultra id, quod est legitime, vel statutum, vel usu approbato receptum, exigant, etiam in stipendium suæ sustentationis, committant simoniam?* dupliciter autem hoc quæri potest. 1. si illis jam aliunde de sustentatione decenti ab Ecclesia sit provisum? 2. si non sit illis de sustentatione, quæ statutum eorum decet, provisum? Si jam sit illis decenter provisum, committi ab illis in dato casu simoniam, valde probabiliter affirmat Suarez supr. cit. Sylvest. V. *Simonia* n. 9. & alii; quia tunc non suppetit illis titulus exigendi temporale ex pacto, *nisi largitio spiritualium*; cum cesset sustentationis insufficientis titulus, & aliunde in jure tales exactiones, tanquam simoniaca reprobentur, secluso titulo sustentationis. Nam in c. *Ad Apostolicam*. 41. h. t. Innocentius Papa, cum ad ipsum fre-

quenti relatione pervenisset, quosdam Clericos pro exequiis mortuorum, benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigere, & extorquere; & si fortè eorum *Cupiditati* non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponere: illas exactiones, *pravas* compellavit, & prohibuit statuens, ut liberè (nimirum sine exacti-
onibus ab ea recipiente) conferantur Ecclesiastica Sacramenta, servatà tamen *laudabili consuetudine* erga Sanctam Ecclesiam, *piâ fidelium devotione introductâ*, quâ quondam Laici, ejusmodi obsequia divina recipientes, Ecclesie Ministris largitionem aliquam reciprocam faciebant.

424 Ex hoc textu clarè patet, propter ministracionem divinarum, & spiritualium, etiam pro exequiis mortuorum, & similibus, *nequidem titulo ullius consuetudinis, nisi piâ fidelium devotione introducta*, quicquam posse exigi ab his, qui ea fidelibus ministrant, saltem in casu, quo ipsis per beneficium, quod habent, de sufficienti sustentatione provisi sunt. Et ideo Alexander III. c. *Cum in Ecclesia*. 9. h. t. *horribile nimis esse ait, quod in quibusdam Ecclesiis venalitas locum habere perhibeatur, ut pro sepulturis, Exequiis mortuorum, & aliis functionibus aliquid exigatur.* quod fusius retulimus supr. atque ut communi ejusmodi exactiõnum excusationi obviaret, subjungit: *putant autem plures, ex hoc sibi licere, quia legem mortis* (nimirum dandi aliquid pro sepulturis, exequiis &c.) *de longa invaluisse consuetudine arbitrantur, non satis* (quia cupiditate cæcati sunt) *attendentes, quod tanto graviora sunt crimina, quanto diutius animam tenuerint infelicem;* quo posito, concludit: *ne igitur hoc de cetero fiat, districtius inhibemus; si quis autem contra hoc venire presumpserit, portionem cum Giezi se noverit habiturum, cujus factum, exactiõne turpis muneris, imitatur.* Ex hoc perspicuum est, ejusmodi exactiõnes prætersâ consuetudine à vitio non purgari.

425 Dices: consuetudinis tanta est vis, ut legitimè præscripta juri Scripto deroget, pro ut diximus lib. I. in tit. 4. de consuetudine; cum ergo jam passim habeat consuetudo, quòd aliquid propter ejusmodi functiones recipiatur, prohibitionibus istis, quæ habentur in sacris canonibus, dictâ consuetudine derogatum jam est; & consequenter sublata prohibitio ejusmodi receptionum; præsertim cum in c. *Ad Apostolicam*, 41. h. t.

consuetudo dandi, & recipiendi aliquid, occasione Ecclesiasticarum functionum, dicatur *laudabilis*; imò per Episcopum loci dicantur *compefcendi*, qui *malitiosè nituntur, laudabilem illam consuetudinem immutare.* Pro resolut. not. *consuetudinem* aliquid exigendi pro rebus spiritualibus, dupliciter considerari posse *quoad initium* ex quo cœpit. Nam alia est, quæ initium duxit à gratuitis fidelium oblationibus, ex mera eorû liberalitate, vel etiam justitiæ obligatione, fundata in debito Ministris Ecclesie stipendio decentis sustentationis; alia ex ipsorum Ministrorum exactiõne, quâ tanquam pretio compensari voluerunt labores officii sui, non obstante sufficienti provisiõne ipsis factâ in decentem sustentationem, quo posito:

2. consuetudinem, aliquid solvendi 426 Ministris Ecclesie propter functiones spirituales, & Ecclesiasticas, *piâ fidelium devotione introductam*, omnino esse laudabilem, & nunc etiam ex obligatione observandam, ut rectè probat objectio ex cit. c. *ad Apostolicam*, 41. h. t. nam de ista expressè loquitur, & observandam præcipit. Idem dicendum venit de illa consuetudine, quæ initium duxit ab exactiõne eorum, quæ à recipientibus ex naturali justitiâ pendendi debent in stipendium sustentationis debitæ Ministris Ecclesie, quod dupliciter fieri potest. 1. si intelligantur illa, quæ respondent beneficio, ut sunt certæ præstationes, decimæ &c. 2. si intelligantur etiam cætera, quæ judicio ordinariorum *pro stola*, ut vocant, ex conventionem cum Domino temporali; cui Parochiani subfunt, constituta sunt. Et hæc quoque consuetudo laudabilis est, atque exactiõnes secundum illam omnino licitæ; cum fundentur in æquitate naturali, & justa mercede Operariorum in vinea Domini. Consuetudo, quæ manat ex pravo initio, ubi scilicet Curati aliunde provisi sunt decenti sustentatione, & nihilominus, *ultra id*, quod ipsis jure Ordinariorum, consuetudine fundata in pia fidelium devotiõne, vel in sustentationem auctoritate legitimâ, introductum est, reverâ jus nullum tribuit, nec legitima esse potest, cum non fundetur in ullo justo titulo; & tales exactiõnes facere, non obstante tali consuetudine, fundatâ in eo vitioso initio, verè corruptela est, cupiditatis & avaritiæ tecta pallio, venalitas horribilis nimis, & si non simoniaca, in re, certè valdè propinqua, & omnino gravis injustitia est, loquuntur passim sacri canones. Et de

de hac consuetudine procedit nostra respon-
sio in n. 424.

427 Dixi: si jam ei provisum sit de sufficienti
sustentatione, iniquam omnino, & injustam
esse consuetudinem, aliquid exigendi ultra id,
quod prescriptum est; imò corruptelam, &
nullius juris inductivam; cum semper ma-
neat vitiosa ex objecto, quod est exactio non
debiti, nec quidem titulo sustentationis, qui
ejusmodi exactiones temporalium propter
functiones Ecclesiasticas à labe simoniae pur-
get. Hinc si propter difficultatem tempo-
rum, & caritatem rerum, stipendium de-
bitae sustentationis, aliàs prescriptum, ac ex
legitima consuetudine (ut dictum est) debi-
tum, ante sufficiens, insufficiens reddere-
tur; cum jure naturali ministris Ecclesiae
debeat decens sustentatio; omnino ultra
id, quod mitiori tempore suffecit, & pre-
scriptum erat, cum moderatione statum
Clericalem decente, quam diu necessitas
id exegerit, praesertim, si ii, quorum inter-
est, non prospexerint, aliquid exigere, li-
citur erit, quin continuationem inten-
dant, inducta velut consuetudine, idem
prosequendi, necessitate cessante; nam ta-
li casu non nisi cupiditatis, & avaritiae vitio
excacati procederent, ut dicitur in c. Cum
in Ecclesia cit. n. 424.

428 Dices: ex hoc, quod consuetudo aliqua
laboret initio vitioso, non sequitur, non pos-
se per illam induci jus novum, aut abroga-
ri jus praexistens, ut ipsi concedimus in tit.
4. de consuetud. & manifestum est ex eo,
quia omnis consuetudo, quae abrogat jus
humanum, incipit ab actu contra talem le-
gem, quam tandem, multiplicatis actibus,
per tempus jure requisitum continuatis, tol-
lit vel ex toto, vel ex parte. 12. antecede-
dens verum esse de consuetudine, quae lapsu
temporis purgat vitium sui initii, quod fit
quando actus, à quibus incipit, praesens vi-
tiantur ex eo, quod contrariantur humanae
legi adhuc existenti, at quando actus, à qui-
bus incipit, vitiantur ex eo; quod contra-
riantur legi naturali, & divinae, nullo tem-
poris lapsu purgatur vitium initii, sed conti-
nuatur; (ut rectè dixit Alexander III. in c.
Cum in Ecclesia) relato in n. 424. at consue-
tudo procedens ex tali initio, per omnes
etiam subsequentes actus manet eodem vi-
tiosa infecta, adeoque & ipsa est vitiosa, con-
sequenter verè, ac propriè corruptela, &
inepta ad inducendum jus, vel abrogandam
legem. Certum autem est, quod exactio

pecuniae, ex cupiditate, ac avaritia, laboret
vitio, quod contrariatur juri naturali, ac
divino; ergo consuetudo inde nascens pa-
riter laborat vitio, quod contrariatur juri
naturali, & divino; hoc autem vitium na-
scens ex oppositione actus cum jure naturali,
& divino, nullo quantumvis usu longo pur-
gari potest; ergo consuetudo inde nascens
nullo temporis lapsu purgare potest vitium
sui initii; cum lex naturalis, & divina nul-
lâ consuetudine humanâ tollatur.

Quod autem exactiones pecuniarum, 429
quae à Curatis, quibus de sufficienti stipen-
dio sustentationis jam provisum est, pro-
pria ipsorum autoritate fiunt ultra id, quod
vel prescripta stola, vel pia fidelium devo-
tione introducta est, sit actus laborans
vitio cupiditatis, avaritiae, imò (ut vult Sua-
rez & alii in n. 423.) etiam simoniae, ex dictis
constat; quia ubi Curatis per beneficium, &
ea, quae illis legitime constituta sunt, re-
sponder sufficiens stipendium sustentationis
decentis (non ipsorum, sed Ordinariorum ju-
dicio, & autoritate definienda, juxta n. 418.)
nullus suppetit justus titulus aliquid ultra ex-
igendi propter spiritualium, & Ecclesiasti-
carum functionum ministracionem, quam
praestant fidelibus; nisi vel ratio pretii pro il-
lis ministeriis, vel pallium cupiditatis, &
avaritiae, sub nomine consuetudinis; ergo
manifestam committunt injustitiam (ut magis
patebit ex sequentibus) per tales exactio-
nes, quae aliunde nasci non potest, nisi
vitio nimiae cupiditatis, & avaritiae, id quod
apertè declarant sacri canones. Nam in c.
Cum in Ecclesia 9. h. t. expressè dicuntur cupi-
ditate excacati, se tuentes longâ consuetudine
aliquid exigendi pro sepulturis, & exequiis
mortuorum; c. Ea quae 15. eod. dicitur,
nummos pro chrisimate ab Ecclesiis extor-
quere, ab avaritia, & cupiditatis radice pro-
venire c. Suam. 28. eod. vitiose cupiditati
tribuitur factum Dalmasii Capellani, quod
pro exequiis mortuorum à Parochianis pec-
uniam exegerit, ac extorsit; c. Ad Apo-
stolicam 41. eod. rursus ejusmodi exactio-
nes cupiditati tribuuntur; & c. Ne Dei Eccle-
siam 42. eod. dicuntur tales Ecclesiam Dei,
cupiditatis spurcitia, quasi rugâ, consuetudi-
nis pretextu, deformare; & licet quidam
turpitudinem, & pravitatem ejusmodi ex-
actionum nitantur defendere per consuetudi-
nem longo tempore observatam, ut notat Pon-
tifex in c. Sicut pro certo 38. eod. hæc tamen
& omnes ejusmodi consuetudines (ut liquet
ex

ex plurimis capitulis hujus tituli) tanquam corruptela, ac filia cupiditatis, & avaritiæ, atq; simoniacæ pravitatis constanter reprobatur; quod sanè nō facerent, nec ex ejusmodi vitio eas nasci summi Pontifices tam constanter asseverarent, nisi vitio juri naturali, ac divino contrariarentur illæ exactiones pro ministeriis spiritualibus, quæ fiunt ab his, quibus de sufficienti sustentatione jam provifum est; & ex hoc patet responsio ad 1. q. in n. 423. Nam ad 2. patet ex n. 427.

430 Superest, ut resolvamus quæstionem, an ejusmodi pecuniarum exactiones, quas provifum de sufficienti sustentatione ex beneficio; & itola per Ordinarios legitime præscripta, ultra id faciunt, sint simoniacæ? qua in re jam supra n. 423. dictum affirmativam valde probabiliter teneri à P. Suarez, & aliis; si tamen illæ pecuniæ ultra debitum exactæ non recipiantur tanquam pretium officii, & functionum spiritualium (tunc enim citra dubium simonia committeretur) sed solum ut stipendium sustentationis superabundantis, licet non debitæ, non committi quidem simoniam juris naturalis; sed veram injustitiam. sic Castropal. p. 3. tr. 7. de vitis Relig. opposit. D. 3. p. 9. n. 2. & apud eum Less. l. 2. c. 35. d. 8. n. 51. & alii. Ratio primi est; quia temporale datum in eo casu foret solum ex falso titulo sustentationis; qui non est quid spirituale. Quia tamen adeo constanter ejusmodi exactiones, etiam non obstante quacunque consuetudine, præter illam, quæ fundatur in bono initio, ut jam dictum est, tam graviter, & tanquam simoniacæ in plurimis sacris canonibus reprobantur, ut ostensum est: non est dubium continere simoniam, saltem præsumptam. Ratio secundi est; quia cum ille excessus sustentationis non debitæ non fundetur in illo jure, & tamen exigatur; nequit non esse injusta talis exactio; quia sic illa spiritualis functio, duplici quasi pretio venderetur; uno recepto in stipendium sustentationis *debita*; altero in stipendium sustentationis *non debitæ*; ut ponit casus. Nam Curatis, ultra stipendium sufficientis sustentationis pro functionibus ex officio, vel obligatione debitis, nihil jure debetur.

431 Quæstio est 5. an sit simoniacum, exigere aliquid temporale pro admissione ad Religionem? R. in c. Nullus, 1. q. 2. ibi: *nullus Abbas pretium sumere, vel exigere ab eis, qui ad conversionem veniunt, aliqua pa-*

cti occasione presumat. & c. *Non satis*, 8. h. t. ibi: *prohibemus, ne ab his, qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur, omnino definitum esse, Abbates, & Majores de conventu (idem est de Abbatibus, & aliis Superioribus) ex conventionem, seu pacto pecuniam, vel aliquid temporale recipientes pro receptione alicujus ad statum Religiosum, Simoniam committere. Hinc illi jubentur suspendi ab executione officii; & pecunia restitui danti, sic autem ingressus cum habitu ad aliud monasterium transire. c. Veniens. 19. & c. De Regularibus 25. h. t. Textus in c. 19. sic habet: Veniens ad nos F. Presbyter proposuit, quod Abbas, & fratres sancti R. noluerunt cum in monachum recipere, quousq; triginta solidos dare convenerit; conventionem autem factam, sequenti die cum monasticum habitum induerunt: & iidem monachi triginta solidos, Abbas verò decem, & familia duodecim pro pastu (asserentes hoc esse de consuetudine monasterii) postularunt. Quoniam ergo factum hujusmodi perniciosum videtur: mandamus, quatenus, si ita esse inveneris, Abbatem, & monachos ad restituendam pecuniam præfato F., tam indignè acceptam, compellas, & Abbatem, & majores personas monasterii pro tanta pravitatis excessu ab officii executione suspendens, præcipias dicto F. ut in alio monasterio, in habitu monastico, Domino studeat deservire. Et in c. 25. ibi: De Regularibus, Canonicis, seu Monachis, nos consulere voluistis, qui per simoniam ingressum; ipsis scientibus habuerunt. Unde, cum super hoc auctoritates multæ reperiantur expressæ; non aliud, quàm statutum est, respondemus: ut locum, quem taliter adepti sunt, omnino dimittant, & solitudines, seu alia monasteria districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem ignorantibus illis pecunia data fuerit, cogas ad renuntiandum loco eidem, & postmodum in ipsum reducere, si ibi absque scandalo potuerint remanere, vel in alio, qui sit de ordine ipso, ad servendum Deo poteris collocare.*

Ex hoc colliges 1. datum causâ simoniæ restituendum esse danti. Barbos. in cit. c. Veniens n. 2. licet in aliis non sit locus repetitioni, quando turpitudine versatur etiam ex parte dantis L. *si ob turpem. V. porro*, ff. illo tit. Less. l. 2. Just. c. 14. n. 58. Ex hoc autem, quod in cit. c. 25. dicatur: *de Regularibus Canonicis, seu Monachis*, non rectè quis

quis colligeret, illos esse *Monachos proprie dictos*; sed solum ex eadem ratione, tam de illis Canonicis, quam de Monachis proprie dictis, quæ inibi dicta sunt, de simoniacè ingresso Religionem tam Canonico Regularium, quam Monachorum, intelligenda esse.

433 Colliges 2. hanc simoniam consistere in venditione ingressus ad monasterium, vel receptionis conventionem, aut pacto prævio de temporali dando pro ejusmodi receptione. Barbosa in cit. c. 25. de Regular. n. 2. & receptionem sic factam, esse simoniam juris divini, & naturalis; quia sic esset venditio rei verè spiritualis. Pirhing h. t. n. 58. nimirum, si ejusmodi receptio rei temporalis fiat *pro admissione* ad professionem, sive ad suscipiendum habitum. Ratio est eadem, & constat ex c. *Quoniam*, 40. h. t. ubi dicitur: Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut *vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, paupertatis prætextu, volentes hujusmodi vitium palliare*, ne id de cætero fiat, penitus prohibemus: statuentes, ut *quæcumque de cætero talem commiserint pravitatem, tam recipientes, quam recepta, sive sit subdita, sive Pralata, sine sperestitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regula ad agendum perpetuam penitentiam retrudenda*. De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem Ordinis collocentur. Quod si fortè propter nimiam multitudinem alibi nequiverint commodè collocari: ne damnabiliter in seculo evagentur, recipientur in eisdem monasteriis dispensativè de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam *circa Monachos, vel alios regulares* decernimus observandum. Verùm, ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus, ut dioecesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas dioeceses publicari.

Idem subjungitur in c. *Audivimus* 41. eod. ubi Pontifex ait: Audivimus de quibusdam Episcopis, quod decedentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdicto subjiciunt, nec patiuntur alios in eisdem institui, *donec ipsis certa summa pecunia persolvatur*. Præterea, cum miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel

Tom. V.

apud Religiosos eligit sepulturam: etiam si nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, *donec aliquid muneris manus contingat eorum*, & subiungit: *cum igitur non solum à malo, sed ab omni specie mali sit secundum Apostolum abstinendum, exactiones hujusmodi penitus inhibemus*. Quod, si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerit soluta dispendium, fideliter convertenda.

Colliges 3. professionem simoniacè 434 factam esse validam: aliàs taliter professus non deberet ad aliud monasterium transire. Barbosa in cit. c. *Quoniam* n. 4. Et Ratio est, quia si foret irrita, esset ex solo jure Ecclesiastico; at hoc in nullo loco talem professionem irritam decernit, imò potius validam agnoscit: ergo.

Limitari tamen debent dicta in n. 431. ut non procedant si monasterium sit inops, & egenum, ut reditus, seu bona non sufficiant ad alendos ibi religiosos; eo enim casu Monasterium posse tunc pacisci cum eo, qui petit ingressum, ut aliquid det, unde commodè sustentetur, docet Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 17. n. 14. & Zoësius, hic n. 17. secus est, ubi cessat hæc ratio, ut si monasterium sit dives. Ita ille, & ratio est, quia pactum eo casu non caderet in ipsum actum admissionis, qui supponit potestatem spiritualem, compensandum temporali; sed in præstationem alimenterum.

Dices: in cit. c. *Quoniam*, speciali- 435 ter prohibetur Monialibus, nec pecuniam pro earum ingressu exigant *paupertatis prætextu*. R. verum esse, quod illicitum sit aliquid accipere titulo paupertatis, *falsò prætextu* (nam *prætextus* dicitur, *quando res verè non subest*, ut notat Zoësius, hic n. 18.) *secus titulo paupertatis verè*. Ex hoc colliges, pro sustentatione personæ ingredientis Religionem, vel etiam in ea profitentis, aliquid temporale exigere, vel accipere, non esse ex natura rei simoniacum, si monasterium sit inops, & regula Ordinis id permittat. Ita S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. quia sic solum exigitur temporale pro temporali; si autem monasterium sit dives, & sufficienter dotatum, communis censet esse simoniam juris humani, & constat ex c. *Non satis*, c. *Veniens*, & *dilectus*, ubi dicitur: *multi pretio recepti, qui potius gratis recipi debuissent*.

M

Not.

Not. tamen quòd huic constitutioni juris humani (in quantum tali) consuetudo contraria (præsertim apud moniales, ubi communiter exigunt, ut dorem pro necessaria sustentatione secum afferat, ne monasterium accessu novarum personarum gravetur) plurimum derogaverit. Ita Suar. Less. Laym. quos citat, & sequitur Pirhing hic n. 59.

436 Difficultas est, de aliis, quæ frequenter ab ingredientibus Religionem, exiguntur, ut sunt *pastus, prandia, certus ornatus vestium postea applicandarum ad usum Ecclesiasticum, honoraria danda Investitori, ministrantibus, Senioribus in conventu* &c. Certum est, quòd in his exactionibus quandoque sit ingens abusus & ideo multi, & multæ ab ingressu Religionis (tantis excessibus sumptuum) vel impediuntur, vel terreatur magno sæpe damno Religionis, solum divites, (communiter inhables) intra se cumulant; & ideo hæc omnia (secusà necessitate sustentationis, (ut expositum est) gravissimè prohibentur in Extravag. *sanè*, inter communes h. t. ubi consuetudo contraria, tanquam corruptela reprobatur, & præcipitur, ut Prælati, & Abbatisæ, ingredientes Religionem, potius cum omni pietate recipiant, ac in victu, & vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, & Monasteriorum, sincerà charitate tractent. Notant tamen communiter Doctores, hanc prohibitionem intelligi, si talia dona cum *exactione*, vel *pacto expresso*, aut *sacito*, quasi extorqueantur à Regularibus; non autem, si purè, & sponte, ac merè liberaliter, omnique pactione cessante dentur, vel accipiantur, ut patet ex textu.

Movent hic aliqui quæstionem, an sumptus facti à parentibus in convivio pro die professionis, vel primitiarum filii, sint computandi in ejus legitimam? sed negativè respondet Molina de Just. tr. 2. D. 238. Vers. de Expensis. Bonacin. de Contract. D. 3. q. 6. p. 6. §. *Unico*, n. 11. Barbosa in c. *Veniens* 19. h. t. n. 5. Quod intellige si liberaliter fiant à parentibus, præsertim citra præjudicium liberorum aliorum in his, quæ illis debita sunt jure. Unde Not. 1. licitum esse pro victu, & vestitu Novitii, tempore quo in probatione est, aliquid ex bonis ejusdem dare, vel accipere, ut habet Trid. sess. 25. de Regularibus c. 16. intellige etiam ex conventionem, & pacto;

saltem ubi Religio est pauper. Pirhing hic n. 60. §. *Denique*. Not. 2. in illis spiritualibus, quæ tantum per liberalem donationem conferri possunt, non esse licitam sed prohibitam *taxationem*; quia taxatio est quædam venditio, & quasi pactio; secus in his, quæ ex debito dantur, si de quantitate stipendii, lege, vel consuetudine non constet. Barbosa in c. *Dilectus*. 3. h. t. n. 4. Pirhing. eod. n. 66. §. *Not. 2.* Not. 3. etiam committi simoniam, quando aliquid datur, ut quis Religionem ingrediatur, c. *quàm pio*. 1. q. 2. Ubi Bonifacius Urbis Romæ Episcopus, Calaritanæ Ecclesiæ Canonibitis scribens, super hac quæstione rogatus, ait: *Nullo pretio aliquem ad conversionem esse invitandum*, quòd intellige, si *intercedat pactio, vel conventio*, ut expressè habet textus, & notat. Gloss. V. *Negabatur*, dicens: *Non remouetur, nisi pactio inhonestæ*; & ideo in c. *Sicut Episcopum* 4. ead. causâ, & quæst. notat, ingredientes Religionem, laudabiliter Ecclesiastica dispensare, qui sua relinquunt, & vel pauperibus distribuunt, vel Ecclesiæ rebus adjungunt, ut habetur c. *Sacerdos* 9. ead. causâ, & quæstion. intellige, si *sponte*; non autem *aliàs non recipiendi*; hoc enim importat pactionem inhonestam, nisi forte monasterium sit egens juxta dicta n. 435.

Dices: in cit. c. *Quàm pio*, ideo prohibita fuisse dationem munerum; quia Monasterium carens Prælato, & cum exigens ab alio monasterio, non datur, nisi illud daret pecuniam, vel munera, debebat facere dationem cedentem in utilitatem dantis, per emolumentum spirituale, quòd habebat accepto exinde Prælato; non verò, quòd cedebat in utilitatem recipientis pecuniam; & ideo ex parte dantis, non recipientis, futuram esse simoniam. Ita Sanch. l. 1. de Sponsal. D. 39. n. 4. Verùm, cum c. *Quàm pio*, non distinguat inter dantem, & recipientem; & c. *fn.* de pactis, generaliter, & absque distinctione prohibeantur pacta pro spiritualibus (secusò stipendio sustentationis) quin differentia fiat inter dantem, & recipientem temporale pro spirituali, si pactio, vel conventio imponens obligationem interveniat, sive ut quis ingrediatur Religionem, vel aliud opus spirituale suscipiat; sive ut alter det, urumque illicitum erit; ita Suarez l. 4. de simon. c. 16. n. 17. Abbas c. *Cum in Ecclesia*, de sim. 7. V. quæ dicam infra.

ARTICULUS IV.

An, & qualiter venditio actuum Jurisdictionis Spiritualis fori tam interni, quam externi simoniaca sit?

439 **C**ommunis regula est, ex pacto dare temporale, pro actu Jurisdictionis spiritualis, simoniacum esse; sic enim proprie intervenit permutatio, & appretiatio rei spiritualis cum temporali, & e contra; ita communis ex c. *Ad nostram*; c. *Non satis*; c. *Cum in Ecclesia*; c. *Suam*; c. *Cum sit Romana* de simonia; de quibus supr.

§. 1.

De actibus Jurisdictionis Ecclesiasticae pertinentis ad forum internum.

440 **E**x pacto, & conventionem, vel tanquam pretium dare, aut accipere aliquid temporale pro actu Jurisdictionis pertinentis ad forum internum, simoniacum esse, constat ex c. *Nemo*. 14. §. *Ne quemquam* h. t. Textus in hoc c. clarus est. *Nemo*, inquit, *Presbyterorum xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, imò spirituale detrimentum à quocunque publicè peccante accipiat, ut Episcopo, vel ministris ejus peccatum illius celer*: nec pro respectu cujusque personæ, consanguinitatis, aut familiaritatis alienis communicans peccatis, hoc Episcopo innotescere detrectet, nec quemquam poenitentem, vel minus digne poenitentem, gratiâ, vel favore, ad reconciliationem, & testimonium reconciliationis ferat eidem, vel quocunque favore dignè poenitentem à reconciliatione removeat: *quia simoniacum est utrumque*. E ratio est, quia isti actus sunt actus jurisdictionis, & potestatis spiritualis, consequenter spirituales tam ex principio, quam ex fine. Quare simoniacum est, accipere, vel exigere aliquid temporale pro auditio- ne confessionum, pro absolutione à peccatis, ab irregularitate, pro concessione indulgentiarum, pro dispensationibus, pro assistentia matrimonii, annexâ officio Parochi &c. Et hæc procedunt, sive actus illi sint potestatis, & jurisdictionis ordinariæ sive delegatæ. Excipe illa, quæ ministris Ecclesiæ danda, vel pia, & laudabilis fidelium consuetudo; vel Ordinarium justa constitutio in eorum decentem sustentationem ordinavit juxta superius dicta.

Tom. V.

Ex dictis coll. Parochos, & Curatos 441 licitè retinere, quod peractâ apud illos confessione sacramentali fideles sponte offerunt, *citra exactionem*; si enim exactio fiat, & quasi taxatio rei dandæ, non caret vitio simoniæ, cum deficiat omnis justus titulus aliquid exigendi, adeoque titulus in re non sit, nisi actus absolvendi, poenitentibus impensus; nec in hoc consuetudo sublevari, ubi aliunde sustentationi sufficienter provisum est, ut notavimus n. 426. Colliges 2. esto Curati possint poenitentibus poenitentiam imponere in satisfactionem peccatorum, etiam eleemosynas promissis curandis, si ad bonum animæ ipsarum videbitur; simoniacum tamen fore, si poenitentes cogant, & quasi obligent, ut *ab ipsis legendas* curent. Nam intentio reverà lucrum temporale querit in ea satisfactione per ministerium spirituale. Ita Suarez, l. 4. hic c. 4. n. 4.

§. 2.

De Actibus jurisdictionis Ecclesiasticae pertinentis ad forum externum.

Communis doctrina est simoniacum esse, vendere actum jurisdictionis contentiosa Ecclesiastica, ut est excommunicare, à censuris absolvere &c. c. *Vendentes*. 1. q. 3. c. *Cum ab omni*, 10. de vita & honest. Clericor. & c. *ad aures*, 24. h. t. vel actum jurisdictionis voluntariæ, ut est, dispensare in voto, in impedimentis matrimonii, quia sunt actus jurisdictionis spiritualis. Quod objici posset de Curia Romana, dictum est à n. 397. Et ideo etiam simoniacum est, pro pretio constituere aliquem Vicarium Episcopi, vel Vicarium alicujus Ecclesiæ, vel Capellanum &c. c. *Ad nostram*, 21. h. t. ibi: *mandamus, quatenus pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro Vicariis assignandis, nullatenus pecuniam exigatis*. De absolutione autem à censuris, & quidem de suspensione, & interdictione, citant aliqui c. *Nullus*, 24. q. 1. de absolutione ab excommunicatione, c. *Ad aures* h. t. & constat ex generali regula in dict. supr. In c. *Vendentes*, sic loquitur Gregorius Pontifex: *Vendentes, & ementes templo eliminat Christus, quia vel eos, qui pro munere impositionem manuum tribuunt, vel eos qui donum spiritus emere nituntur, damnat*. *Vendentes in templo sunt, qui hoc, quod quibusdam jure*

M 2

com.

competit, ad præmium largiuntur. Justitiam enim vendere, est hanc pro præmii acceptione servare. *Ementes verò in templo sunt, qui, dum hoc persolvere proximo, quod justum est nolunt, dumque rem jure debitam facere contemnunt, dato patronis pretio emunt peccatum.*

Ita c. *Cum ab omni*, Innocentius III. scribit ad Prælatos, & Clericos Lombardiæ: ad audientiam sedis Apostolicæ venisse, quòd, cum ex delegatione Pontificia causas suscipiunt pertractandas, more secularium super decima litris, vel parte alia pro diversa terrarum consuetudine, præter expensas victualium, cum litigantibus receptis pignoribus pro salario conveniant.

Subjungit porrò Pontifex: *Nos attendentes, quòd ad hoc vobis, & aliis Clericis sint Ecclesiastici redditus deputati, ut ex ipsis honestè vivere debeatis*: ideoque mandamus, quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes vigorem judicarium gratis studeatis litigantibus impertiri, non obstante, quòd in fraudem à quibusdam proponitur, quòd id exigatur nomine assessorum, cum nec justum iudicium iudici vendere liceat, & venales sententiæ ab ipsis etiam secularibus legibus reprobentur.

443 Ex dictis coll. simoniacum esse pretium accipere pro functionibus Ecclesiasticis, cum hæc officia sint spiritualia, quæ sunt nomine Ecclesiæ per potestatem ministerialem ab ea delegatam. Colligitur ex c. *Ad nostram*, 21. h. t. ubi in Rubrica dicitur: *si ordinandus Præsentatori suo aliquid dedit ex pacto, simoniacum esse; nam tamen deponi, si est occultum.* Unde fit, quòd omnes actus procedentes à potestate ordinis sint materia simoniæ. Barbof. ibid. n. 2. Exempla talium actionum sunt, functiones in publicis processionibus, & Lytaniis, vel in choro. Unde cum datur aliquid pauperibus, vel Religiosis, ut orent pro dante, vel celebrent, non potest sine simonia dari, *ut precium operis*, sed vel elemosynæ, vel etiam stipendii ad sustentationem necessarij pro obligatione, quam subeunt.

444 Colliges 2. cum D. Thoma, 22. q. 100. a. 3. simoniacum esse, accipere temporale ut pretium, seu compensationem pro officio prædicationis, vel exhortationis spiritualis; quia Verbum Dei est maxime spirituale medium ad salutem animarum ordinatum. Possunt tamen prædicatores ad necessariam sustentationem aliquid

accipere. c. *Cum voluntate* 54. §. *Prædicatores* de sent. excom. ibi: *elemosynas ab illis possunt licitè recipere; præsertim, si alias non valeant in illo loco sustentationem habere.* Idem est de tradente doctrinam Christianam modo exhortatorio; secus ad exercendam puerorum memoriam, qualiter fit à ludimagistris.

Coll. 3. Ecclesiam sine simonia emi 445 non posse, nec etiam redimendo. c. *Querelam*, 15. h. t. junct. Gloss. V. *Emi*. intellige, *directè*. Nam indirectè (puta cum universitate bonorum) bene potest aliquid spirituale dari pro temporali, ut diximus de Jure Patronat. in l. 3. decret. Textus in cit. c. *Querelam* sic habet, *Scituri, quòd sicut dicta Ecclesia emi non potuit, ita nec redimi.*

Coll. 4. Simoniacum esse, tempora 446 ledare, vel accipere pro Episcopo, Abbatibus, vel aliis personis Ecclesiasticis ponendis in sede, c. *Cum in Ecclesia*, 9. h. t. & not. quòd in ejusmodi casibus non tantum dans, sed etiam recipiens committat simoniam. Et responsio extenditur etiam ad casum, quo aliquid temporale accipitur pro sacerdotibus instituendis in Ecclesiis. Pirhing. h. t. n. 32. Textum cit. c. 9. dedimus supr. n. 424. Et ideo etiam c. *in tantam* 36. h. t. sub finem mandat Pontifex, tolli consuetudinem, secundum quam Archidiaconi *marcam argenti* pro investitura Ecclesiarum, sive immisione in corporalem earum possessionem exigebant; alii vero minores, ut Decani rurales, *vaccam* sibi dari postulabant, vel certam quantitatem pecuniæ pro vacca. Verba canonis citati sunt, *pravam etiam illam consuetudinem, de tua provincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum investitura Archidiaconi, marcham argenti; minores verò Decani, vaccam albam sibi dari postulans, vel certam solvi pecunia quantitatem.* Ratio prohibitionis est, quia investitura Ecclesiarum est aliquid spirituali annexum, cum nulli competat, nisi habenti officium clericale. S. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. Nam de annexis est idem iudicium, c. 1. de Inst. Nec excusat consuetudo; quia pravæ consuetudines tempore non firmantur. Authent. *Ut nulli iudic.* §. 1. vers. *Negue verò*, Collat. 9.

Coll. 5. Simoniacum esse accipere 447 pretium pro benedicendis nubentibus, c. *Cum in Ecclesia*, h. t. Nec excusat consuetudo contraria, ut notavi in præmissis: idem confir-

confirmatur ex c. *Suam*. 29. eod. quod retulimus in præmissi. Et quidem hi Clerici, qui ex officio tenentur ad hos actus, ne quidem titulo etiam stipendii aliquid accipere possint. Pirhing h. t. n. 40. intellige, si eis de decenti stipendio sui officii jam provisum sit. Barbof. in c. *Suam* n. 4. V. dicta n. 442. in fin.

448 Coll. 6. Simoniacum esse, accipere pretium pro consecranda Ecclesia; cum actus consecrandi procedat à potestate ordinis, c. *Cum sit*, 10. h. t. ibi: *quod nihil pro Ecclesiarum consecratione, potes, vel debes, (præter procuracionem) exigere.* Ex quo videt, quod hoc corollarium de procuracionibus non procedat, ut constat ex textu cit. si autem Ecclesia foret inops, Episcopus suis sumptibus procuraciones faciet, & consecrabit, Gloss. in cit. c. *Cum sit*, h. t. V. *Procuraciones*, quibus alimenta intelliguntur, ut notat Barbof. in c. cit. n. 3. ad finem. Donaria tamen sponte oblata, licite non respui, docuerunt P. P. Concilii Brachar. 2. & Cabilon. relati in c. *Constituimus*, 1. q. 1. c. *Placuit*, 1. q. 2. apud Gonzalez in cit. c. *Cum sit*, n. 2. V. sup. n. 338.

449 Coll. 7. Simoniacum esse, pretium exigere pro chrismate, c. *Ea, que* 16. h. t. quod intellige non tantum de ipso actu, quo quis confirmatur, sed etiam de ipso liquore chrisimatis, sive balsamo, & oleo consecrato. Pecuniam illam, seu nummos olim pro chrismate exactos ab Ecclesiis inferioribus, ad tegendum simonia vitium, tales exactores, specioso nomine vocabant *Carbedraticum*; aliquando *præstationem paschalem*, interdum *Episcopalem consuetudinem*: sed quia revera simoniaca erat, citatis locis prohibita est; ut etiam constat ex c. *In tantum*, 36. h. t. ubi rursus alia hujus exactionis nomina ponuntur, à quibusdam inventa, ad tegendum simonia vitium; denarios, quos prius *chrismales* vocabant, post appellantes, *Paschales* seu *consuetudinem media quadragesima*.

450 Coll. 8. Accipere aliquid temporale ex pacto, ut omitratur actus jurisdictionis spiritualis (v. g. neferatur Censura; ne talis confirmetur in electione &c.) simoniacum esse, c. *Nemo*, 14. h. t. relato superius n. 440. Hoc autem procedit, si quis omitat actum jurisdictionis Ecclesiastica, ex officio exercendum, qui post se relinquat effectum aliquem spirituales moraliter: v. g. si omitatur institutio digni vel dignio-

ris, unde indignus, vel minus dignus succedat.

Coll. 9. Simoniacum esse, Ecclesia offerre sua bona, eo pacto, ut in Canonicum offerens admittatur, & ea pro præbenda retineat; constat ex c. *Tua nos*, 34. h. t. intellige ex intentione principali; non autem, si offerat purè, sine pacto, & solum roget admitti. Dixi, modo non faciat *ex intentione principali* per hoc Canonicatum obtinendi. Secus enim, licet externè dissimulet, committit simoniam mentalem. Textus cit. c. sic habet: *Devotioni tuæ taliter respondemus, quod si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, aut offerat bona sua, ut illa postmodum pro præbenda retineat, & in Canonicum admittatur: hujusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simonia: cum in talibus omnis pactio, aut conventio cessare debeat, juxta canonicas Sanctiones.* Si verò purè, ac sine pacto, vel conditione qualibet offerat, rogans humiliter, ut in Canonicum admittatur, & bona sua retinere sibi liceat pro præbenda, & Clerici ejusdem Ecclesie purè consentiant: *hujusmodi receptio fieri potuit absque scrupulo simoniaca pravitatis.*

Et subjungit: Licet autem taliter diximus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo judicare: Si tamen is, qui talem donationem facit, eà intentione ducatur, *ut per temporalia bona, que offerit, spiritualia valeat adipisci: & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri*: sine dubio tam ille, quam isti apud districtum judicem (qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum) culpabiles judicantur.

Præter hoc not. 1. quod *sola promissio* de dando temporali pro spiritualibus inducat simoniam, sic Barbof. in cit. c. *Tua nos*, n. 4. ut liquet ex ipsa rubrica hujus tituli, ibi: *vel promittatur*; intellige tamen de promissione acceptata saltem ex præsumptione. Nam sola actuum correspectivitas (nimirum datio, & acceptio) non inducit simoniam, nisi præcedat pactio, & conventio expressa, vel implicita. Sic Barbof. cit. n. 7. Not. 2. Simoniacum esse, à recepto in Canonicum exigere prandium, vel epulas, aut aliud temporale in commodum recipientium alioquin non recepturoorum, vel provisuroorum de præben-

benda, vel saltem moram traditorum, c. *Jacobus*. 44. h. t. & Barbof. ibid.

453 Not. 3. tale statum (de quo not. præced.) si quod sit in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis, non excusari à vitiò simoniæ, quòd in iis recepta jam sit consuetudo, nisi tribus concurrentibus. 1. ut in tali actu recipientes instituentem, vel confirmantem honorario temporali donare, sit iustà consuetudine, vel constitutione receptum. 2. ut ejusmodi datum in pios usus convertatur. 3. ut non exigatur prius per subtractionem, aut moram spiritualium v. g. negando, vel differendo confirmationem. sic Barbof. in cit. c. *Jacobus*. n. 9. Azorcit. p. 3. l. 12. c. 11. q. 6. Castropal. tr. 17. D. 3. p. 12. n. 9.

454 Not. 4. si alicubi consuetudo invaluit, ut confirmati, instituti, vel recepti, ad Canonicatus, & beneficia, Concanonicos, aut similes convivio excipiant grante, & ex liberalitate, non committi simoniam. Less. l. 2. c. 25. n. 111. Pirhing. hic n. 91. not. 2. Similiter simoniacum non esse, si vacanti beneficio onus aliquod temporale sit impositum (v. g.) ut certa pars fructuum, aut pecuniæ quantitas in pios usus reservetur, vel ad sustentationem Ministrorum, nullà facta conventionem. Sic Barbof. cit. n. 4.

455 Dices: Jus Patronatus indirectè, seu accessoriè vendi potest sine simonia, licet sit annexum spirituali, ut diximus in lib. 3. decret. de Jure Patronatus; ergo similiter jus percipiendi redditus Ecclesiasticos vendi potest sine simonia, licet sit annexum spirituali officio. Confirmatur, quia vestes sacræ, & similia licitè venduntur, licet annectantur spiritualibus. Sed esse discrimen. Nam jus percipiendi redditus Ecclesiasticos consequitur ad officium spirituale; jus autem Patronatus solum ad aliquid temporale, nimirum ad ædificationem, & donationem Ecclesiæ; quam Ecclesia eà gratiâ, & beneficio recognoscit. Vestes autem sacræ non pendunt à sacramentis, & actionibus spiritualibus, quibus deserviunt, sed secundum materiam ad eas præsupponuntur.

§. 3.

An sit simoniacum pretio constituere Judicem Ecclesiasticum?

456 Quæstio procedit de Judice tam ordinario, quàm delegato, & quidem,

sive pretium detur ex parte accipientis jurisdictionem, sive dantis? Affirmativa decisa est c. *Ad nostram*, de simon. ibi: mandamus, quatenus *pro ministerio Ecclesiastico exercendo, sive pro vicariis assignandis, nullatenus pecuniam exigatis*. Idem habetur c. *Consulere*, cod. & ratio est ex n. 442. quia est actus potestatis spiritualis, quibus præmissis:

Quæres 1. An sit simoniacum, accipere pretium, ut iste potius, quàm ille assumatur in Judicem Ecclesiasticum? Vicarium Ecclesiæ, vel Capellanum? Affirmativè responderet Suarez l. 4. de Simon. c. 26. n. 21. quia reverà temporale datum pro tali assumptione (quæ est actus potestatis spiritualis) reipsa datur pro concessa potestate spirituali; ratione cujus illa unius præ altero assumptio evadit æstimabilis, & appetitur. Unde non relevat, quod communiter dicitur, non recipi tale temporale, *ut pretium*, sed tanquam stipendium sustentationis, vel tanquam debitum jure consuetudinis jam inducta, nam, etsi animus constet soli Deo (qui decipi non potest, quidquid externè fingant ejusmodi pecuniarum sectatores) externè tamen jus præsumit pravum animum, quoties illæ pecuniarum exactiones, & receptiones fiunt in circumstantiis, quibus prudenter judicari debet, reipsa fieri permutationem. Tales circumstantiæ sunt, quando fiunt ultra taxam stolæ ab Ordinario præscriptæ, & in iis functionibus, quas gratis debere fieri præcipiunt, præsertim, ubi alias habent sufficiens stipendium decentis sustentationis, ut in superioribus jam probatum est. 2. si ipsi autoritate suâ stolam augeant, & taxam constituent. 3. si non apparet ullus justus titulus exigendi, nisi quatenus res æstimabilis sit ab eo, quod spiritualis sit, aut spirituali annexum. Nam in his juris præsumptione tales acceptiones reverà simoniacæ sunt, ut patet ex tot juribus jam relatis, & tametsi abesset vitium simoniæ, ab injustitia certè excusari non possent, ut diximus n. 430. quia petere non debitum, contra justitiam est.

Consuetudo porro jam *inducta*, non præstat excusationem, nisi fundata sit in laudabili initio, cui pia fidelium devotio, & necessaria Ministrorum Ecclesiæ sustentatio cunas dedit, ut notavimus à n. 426. ea enim, quæ cupiditatis, & avaritiæ vitio inducta est, sicut nata pravo initio, sic continua-

tinuata, non consuetudo legitima est, sed corruptela, cum semper vitiosa maneat ex objecto, consequenter opposita juri naturali, & divino.

459 Ex dictis colliges, r. dare licentias, vel quasi dispensationes, quas possunt dare Parochi suis in ordine ad præceptorum observantiam, vel excusationem (v.g. *laborandi die festo, vel die jejunii edendi cibos aliis prohibitos*) esse actus potestatis, & officii spiritualis, sive per propriam jurisdictionem, sive per authenticam approbationem causæ excusantis; consequenter per n. 442. simoniam committi pro illis exigendo aliquid temporale. Et quoniam recipientes ejusmodi licentiam, vel quasi dispensationem, communiter eam in scriptis recipere debent, questio est, an licitum sit, à recipientibus pecuniam exigere pro tali scheda, vel scriptura? R. vel exigitur pecunia pro ea scriptura præcisè secundum se considerata, vel in quantum habet æstimabilitatem à testificatione facultatis indulta per potestatem spiritualem? non primum, nam sic sæpè nec nummum valet; non secundum; quia æstimabilitas, quam accipit à potestate spirituali concedentis, est à spirituali, adeoque ipsa spiritualitas venit in appretiationem.

460 Dices: Exigi solum vel tanquam taxam jam consuetam, vel tanquam mercedem scribæ pro labore; R. si ab Ordinario ea taxa constituta est, licere: si à Parocho, vel ipso Parocho scribæ, continere injustitiam; cum penes eos non sit, vel nova onera imponere; vel antiqua justè constituta auctoritate suâ augere Parochianis, cum in temporalibus eis non subiaceant, nisi per ordinem ad ea, quæ jure, vel piâ fidelium devotione introductâ consuetudine in stipendium sustentationis decentis debita sunt, ut ostensum est supra; aliàs consuetudo erit corruptela, nimirum semper vitiosa, ex objecto seu re exigita, quæ non debetur. Quod dicitur de labore scribæ, non relevat. Nam vel habet aliunde sufficiens stipendium, vel non? si sic? eundem laborem, duplici pretio, nimirum stipendio, & pecuniâ pro illo exactâ, consequenter eundem actum, bis vendit; si non? Parochus (cui de sufficienti, ac decenti sustentatione provisum est) ex beneficio, & aliis proventibus jure ipsi obvenientibus supplere tenetur. Nam ubi talis homo necessarius est Parocho ad obsequia in commodum Paro-

chianorum, ad quæ aliàs ipse vi officii tenetur, pertinet ad ea, quæ decenti sustentatione debentur; cum in hac non consideretur solus victus, & vestitus, sed etiam reliqua necessaria.

Coll. 2. Assistentiam, quam Parochus in matrimonio suis præstat, esse actum ex institutione Ecclesiæ annexum officio Parochi, quia contractus ille conjugalis sanctus est, & sacramentum; consequenter, esse actum ministerii Ecclesiastici; adeoque si pro illo aliquod pretium accipitur, ex n. 442. committi simoniam juris divini, ut rectè docet Suarez hic l. 4. c. 19. Et ideo negandum est, quòd assistat, sicut *quilibet alius testis*; licet enim hæc assistentia nec sit actus ordinis, nec jurisdictionis; est tamen actus officii Ecclesiastici, speciali Ecclesiæ constitutione.

Coll. 3. Simoniacum esse, pretium accipere pro confirmatione electi, institutione præsentati, collatione beneficii, aut missione in possessionem juris spiritualis; nam actus isti tam ex principio, quam fine suo sunt spirituales. Hæc tamen omnia intellige, ut non comprehendant ea, quæ vel ex taxa diæcesana, vel ex piâ fidelium devotione introductâ consuetudine, tanquam stipendium sustentationis deputata sunt, vel ex ipsa mera liberalitate offeruntur. Et quamvis Concilium Trid. sess. 24. de reform. c. 14. declaraverit, simoniacum esse, si Capitulum, vel alii Prælati, aliquid exigant, pro collatione, electione, institutione, vel possessione concedenda, *non solum in pretium, sed etiam in sustentationem* (exceptâ consuetudine, de qua n. 423.) & Sacra Congreg. apud Farinacium Volum. 4. p. 87. Column. 2. imò & Pius V. in Bulla: *Durum nimis*, public. Calend. Junii 1570. Episcopum, qui aliquid exigit in receptione alicujus in Canonicum, esse suspensum à Pontificalibus; Capitulum autem subjectum interdicto; seculares excommunicationi sententiæ latæ, & reservatæ; ipsumque acceptum restitutioni obnoxium esse. Advertit tamen Lessius l. 2. c. 35. d. 18. n. III. passim non observari, & omnino ignorari, esto concilium Episcopis mandet, ut in executionem deducant.

Circa hanc P. Lessii observationem not. 1. si loquatur de receptione *pretii* pro ejusmodi actibus ex principio, & fine spiritualibus, per dictam inobservantiam etiam longæ consuetudinis, illis constitutio-

tionibus non derogari; quia recipere pretium pro illis actibus, est simonia juris naturalis, & divini, cuius vitium nullâ consuetudine purgari potest. Not. 2. si autem loquatur de receptione *sustentationis*, distinguendum esse; & affirmandum per contrariam, quam allegant consuetudinem, illis quoad hoc constitutionibus derogatum esse, in casu, ubi aliunde non est illis per Ecclesiam provisum de sufficienti stipendio sustentationis; quia tunc ejusmodi exactio foret solum contra jus Ecclesiasticum; secus, si jam aliunde per Ecclesiam ejusmodi Ministris decenti sustentatione provisum foret; quia tunc consuetudo contraria contineret injustitiam, consequenter foret iniqua ex objecto, ut dictum est à n. 426. quo casu nihil potest consuetudo. Not. 3. tamen si lex Ecclesiastica sit de materia, aliunde jure naturali, & divino vetita, si tamen illa *pœnalis* sit, ut sunt illæ constitutiones, de quibus in n. 462. per consuetudinem contrariam, quæ non est vitiosa ex objecto, vitio juris naturalis, & divini, legem illam Ecclesiasticam abrogari posse in quantum est juris Ecclesiastici obligantis ad culpam, & huic annexam pœnam, ut constat ex lib. 1. decret. tit. de consuetud.

464 Dices: In Curia Romana venduntur quædam officia (ut Clericatus, vel Auditoratus Camera) quæ constituta sunt ad exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam vice Pontificis. Respondet Castropalaus cit. D. 3. de simonia p. 12. n. 7. In his officiis considerari duo, sicut in quolibet beneficio. 1. *jurisdictionem spiritualem*; 2. *emolumentum temporale exinde proveniens*. Primum vendi non posse, certum est ex dictis n. 456. Vendere autem secundum, *prout conjunctum primo*, ait, *jure solum Ecclesiastico prohibetum*, c. *si quis objecerit*. 1. q. 3. consequenter, in illis casibus licitum fieri Pontificis dispensatione, adeoque venditionem illam secundum temporale, simoniacam non esse per c. *fn*. Ne Prælati vices suas. Sed, cum temporale totam in hoc casu æstimabilitatem habeat, à jurisdictione spiritali (aliàs pauci emerent munus ejusmodi) ægrè ostenditur, spirituale non venire in appropriationem.

§. 4.

An, & qualiter committatur simonia exigendo temporale pro dispensationibus?

465 **H**Æc materia frequens est; nec exemplo caret; cum certum sit à Romana Curia pecuniam exigi, quando petuntur dispensationes, & conceduntur: & quo gravior est dispensatio, eò majorem quantitatem exoptulari; sic pro dispensatione in 2. gradu, magis, quàm in 4. & pro impedimento consanguinitatis, quàm affinitatis, vel justitiæ publicæ, augetur taxa. Pro ipso actu *dispensandi* dare, exigere, vel accipere pretium, esse simoniacum, etiam in stipendium sustentationis, esse certum ait Castropalaus p. 3. tr. 17. D. 3. p. 12. n. 10. cum D. Thoma, Suarez, Lessio, & aliis ibidem relatis, ex Trid. sess. 21. c. 5. Cujus ratio est, quia talis actus ex principio, & sine spiritalis est.

Potissima difficultas est, an Ordinarii, 466 & eorum Officiales, quibus à sede Apostolica dispensationes matrimonii committuntur, *saltem pro labore* (testium v. g. receptione, & examinatione) possint aliquid exigere? Possè, quod consuetudine inductum est, affirmat Sanchez l. 8. de Matr. D. 35. n. 11. Salas de legibus. D. 20. l. 101. quia Tridentinum prohibet solum receptionem *premiis*, ac *muneris*. Negativam tamen sequitur Castropalaus cit. n. 12. Cum Navarr. L. 1. Consil. in 2. edit. de Rescript. Consil. ult. Zerola in praxi Episc. p. 2. V. *Delegatus*, §. 2. & V. *dispensatio*, §. 1. aliisque ibidem relatis, id quod etiam esse decisum à Sacra Congregatione refert Barbosa in Collectaneis decision. Apostolic. V. *dispensationes matrimoniales*. n. 5. explicante illud *ly muneris*, ut intelligatur, *nec quidem pro mercede laboris* aliquid exigi posse, ex quo constat ad rationem contrariæ opinionis; quæ tamen accipe juxta dicenda in seqq.

Not. tamen 1. Garciam, & Genucen- 467 sem, apud Castropal. cit. n. 13. probabiliter docere, posse aliquid exigi in casu, quo dispensans domicilio suo egredi deberet pro examinandis testibus, aut verificandis narratis, aut cum partes peterent transumptum instrumenti dispensationum. Not. 2. cum dicimus à dispensantibus in causis matrimonialibus non posse licitè aliquid exigi pro *labore*, etiam *titulo sustentationis*, probabilius esse, non committi simoniam, factis agendo (nam eo casu venderetur solum labor *temporalis*) sed fore turpe lucrum; cum iniquum sit exigere indebitum, ac jure prohibetum, quando sufficienter provisum

sum est de decenti sustentatione; & dispensatio, quæ committitur est juris tantum delegati. Quod dicitur de dispensationibus Curie Romanæ, solvi potest ex dictis n. 397. nam pecunia, quæ in dictis casibus exigitur à dispensandis, non exigitur, nec licetè potest exigi *in commutationem dispensationis, & gratiæ per hanc collata* (sic enim foret simonia juris divini) sed solum *in sustentationem* Papæ, Officialium, aliaque onera Ecclesiæ incumbenda in subsidiis contra infideles præstandis, in hoc dispensante Pontifice; cum stipendium laboris in eo casu exigere, *in sustentationem* jure solum humano prohibitum sit, quod utique relaxare potest Papa, quando illud occasione talium functionum exigitur ab his, qui sunt delegati, extra Curiam Romanam.

ARTICULUS V.

De Simonia, quæ committitur collatione, & receptione Ordinum.

468 **C**ommunis regula est, omnes illos actus, seu actiones, supponentes potestatem ordinis, pro quibus in æstimationem, seu compensationem exigitur, vel datur aliquid temporale, simoniam esse juris divini, & naturalis; quia sunt actus tam ex principio, quàm ex fine spirituales, & supernaturales. Suarez l. 4. c. 13. à n. 1. quod etiam intelligitur de minoribus 4. Ordinibus, quia saltem characterem sacerdotalem supponunt. Intellige tamen de illis actionibus non materialiter sumptis (prout etiam possunt exerceri à Laico) sed exercitis *possessivè* seu formaliter. Quod dictum est, *committi simoniam*, si quid temporale accipiatur pro *collatione Ordinum*, extenditur etiam ad collationem primæ tonsuræ; quia & hæc supponit potestatem spiritualement ordinis in conferente. sic Suarez cit. c. 13.

469 **Q**uestio est, an Ministri, servientes Episcopo ordinanti, committant simoniam, si pro suis functionibus aliquid exigant, vel accipiant? Communis doctrina est, quando principalis actio (ut est *collatio ordinum*) debet fieri *gratis* (ne fiat *simoniace*) etiam actiones eorum, qui ministri sunt accessorii, debere similiter gratis fieri. Ne scilicet indirectè fiat, quod directè non licet. Ex hoc infert Azor p. 3. l. 11. c. 5. q. 1. aliquid exigere pro concedendis *formatis*, *simoniacum* esse: idem asserit, si quid.

Tom. V.

quam accipiatur pro *literis dimissoriis*. Per *formatas* intelliguntur literæ testimoniales; quibus fit publica fides aliquem *Clericum ordinatum esse*. Sic Azor cit. Per *dimissorias*, quibus alicui datur facultas, ut possit ab alio Episcopo ordinari. Utrumque tamen casum præcedentem intellige (*spectato jure communi*) si quid datur, vel exigitur *principaliter* pro spirituali. Nam si tali casu quid detur Episcopo, vel ejus Ministris, *sponse, & gratuitè* non eo fine, eodem jure licetè datur, & accipitur. Colligitur ex c. *Esti questiones*, & c. *dilectus* h. t. quibus adde c. *quidquid*. 1. q. 1. ibi: *nisi voluntariè oblata*. Hanc tamen limitationem accipe, si quod offertur sit modicum, & non detur *in ipso actu ordinationis*, sed ex intervallo, sicut colligitur ex c. *sicut*. §. is autem 1. q. 2. & hoc *spectato jure communi*. Dixi *spectato jure communi*. Nam Tridentinum sessione 21. de Reform. c. 1. statuit, *ut Episcopi, & alii Ordinum Collatores, aut eorum Ministri, ad tollendam omnem avaritiæ suspicionem ab ordine Ecclesiastico, nihil, quovis prætextu, accipiant, pro collatione quoruncunque ordinum, etiam Clericalis tonsuræ; nec pro literis dimissoriis, aut testimonialibus; nec pro sigillo, nec pro quacunque alia causa, etiam sponse oblatum*. Rationem dat Lessius L. 2. c. 35. n. 61. quia non censetur *tunc* facile *sponse dari* (maximè ante ordinationem) & cupidi homines facile sibi persuaderent, *sponse dari*, quod *coactè* offertur. Si tamen revera quid omnino spontè daretur, & ut tale acciperetur, simonia non foret, quia tunc cessaret pactio, & ratio debiti, quæ requiritur ad simoniam. Ita Lessius loc. cit.

Excipit tamen Concilium ab hoc suo 470 decreto Notarios, qui aliàs *nullum habent salarium*, & degunt in locis, ubi non viget consuetudo, *nihil accipiendi pro dimissoriis, aut testimonialibus*. V. Barbosa in c. 1. h. t. n. 3. His ergo concedit, posse accipere, decimam tantum partem unius aurei, hoc est, ut exponit Pirhing hic n. 18. unum Julium, sed eà lege, ut ex hoc nec indirectè in Episcopum redundet ullum commodum. Secus facientes subjicit pœnis à Jure inflictis ipso facto incurrendis, interdicendo simul taxas, statuta, & consuetudines contrarias, etiam immemorales. Per *aureum* autem hîc intelligi *ducatum*, declaravit S. Congregatio Concilii apud Zerol. in praxi Episcopali. p. 1. V. *Dimissoria*. §. ad 7. Pœnæ

N

autem

autem à jure decretæ in accipientes aliquid ab ordinatis sunt excommunicatio, & suspensio ab officio, & executione ordinum, ut dicitur c. 1. placuit 1. q. 1. intellige quo ad ordinatos, ut vult Turrecremata in c. Reperiuntur. 1. q. 1. Tridentinum autem, eas pœnas extendit ad dantes, & accipientes, etiam sponte oblata.

471 Præterea not. hanc Tridentini prohibitionem expressè prohibere illas dationes, & exactiones *intuitu simonia*; ac omnino reprobare contrarias taxas, statuta, consuetudines etiam immemorales quorumcunque locorum, dicens, quòd potius abusus, & corruptelæ, *simoniace pravitati* faventes, nuncupari possint. Not. 2. ut Notarius gaudeat eà exceptione, quam retulimus supra, ex mente Concilii, requiri tres conditiones. 1. ut solum ei liceat *ibi*, ubi non viget laudabilis consuetudo, *nihil accipiendi*. 2. ut non habeat ullum stipendium pro officio exereendo. 3. ut nihil ex illo lucro ad Episcopum etiam indirectè pervenire possit.

472 Not. 3. Ordinandum committere simoniam, si aliquid temporale promittat, vel det pro sui præsentatione ad suscipiendos ordines. c. 1. de simonia, etiam si sit modicum, ut colligitur ex c. *Ex tua* 20. eod. & Barbof. ibidem. n. 3. Not. 4. quòd etiam ille, qui cum alio Clerico convenit, ut ipsum præsentet Episcopo, ordinandum ad titulum sui beneficii, committat simoniam, si simul paciscitur, quòd nihil ab illo petere velit ex illo beneficio. c. *per tuas* 37. h. t. elige 3. An autem sit simonia juris naturalis, & divini? vel tantum Ecclesiastici? resolvitur potest ex regulis traditis in supra dictis.

ARTICULUS VI.

De Simonia, qua committitur in provisionibus beneficiorum.

473 Non est dubium, in provisione beneficiorum Ecclesiasticorum plures actus, tanquam simoniacos, jure Ecclesiastico interdictos esse; sic prohibetur, accipere aliquid temporale pro *collatione* beneficii, c. *Præterea*, ne Prælati vices suas. 2. si quid detur, vel accipiatur pro immessione, seu *inductione* in *possessionem* beneficii jam collati. c. *Cum in Ecclesia*, 9. h. t. Tertio si quid temporale exigatur pro *institutione* præsentati in beneficio, vel consensu præstan-

do in ejus institutionem, c. *Audivimus*. 41. h. t. Et hoc procedit, sive institutio hic accipiatur prout est quid juris, sive prout est quid facti, nempe introductione in corporalem possessionem beneficii.

Ratio primi est; quia sive sumatur pro 474 ea institutione, quæ electus confirmatur, vel præsentatus instituitur, sive pro ea, quæ alicui liberè beneficium confertur, eo ipso emitur, & venditur actus potestatis spiritualis. Ratio secundi est, quia institutio sumpta pro immessione in corporalem possessionem beneficii (cum talis possessio sit saltem quid annexum juri spirituali) eo ipso temporale permutatur cum spirituali; temporale enim pro annexis rei spirituali solvi non potest absque simonia, ut sæpe dictum est; ergo.

Et quamvis aliàs *simoniacè datum*, & 475 *acceptum*, communi consensu, tam dantis, quam accipientis simpliciter restitui debeat c. *de hoc* 11. h. t. in hoc tamen casu specialiter constitutum est, ut is, qui aliquid simoniacè accepit *pro beneficio*, duplum ejus restituat in utilitatem locorum, in quorum dispendium acceptum fuit. cit. c. *audivimus* 41. h. t. ubi Pontifex sic loquitur: *Audivimus de quibusdam Episcopis, quòd decentibus Ecclesiarum Rectoribus, ipsas interdico subjiciunt, nec patiuntur alios in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecunie persolvatur.* Præterea, cum miles, aut Clericus domum Religionis ingreditur, vel apud Religiosos eligit sepulturam: etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, *donec aliquid muneris manus contingat eorum.* Cum igitur non solum à malo, sed ab omni specie mali sit secundum Apostolum abstinendum, *exactiones hujusmodi penitus inhibemus.* Quod si quis transgressor extiterit, *exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.*

Similiter, tanquam simoniacum pro 476 hibetur 1. ab electo Abbate pro benedictione, installatione, vel recipienda professione (quæ intelligitur solemnitas, qua Electus Ordinario suo promittit reverentiam, & obedientiam salvâ ordinis regulâ) sub cuiusdam consuetudinis prætextu *palefredum* (h. e. *insignem equum*) vel aliud temporale exigere, vel extorquere c. *Ne Dei*. 43. h. t. Idem est, si pro beneficio obtinendo præstetur homagium. c. *ex diligenti*. 17. h. t. sed

sed hoc intellige, non de *homagio latè sumpto*, pro fidelitate, & obedientia; sed *strictè sumpto*, pro subiectione ad certam servitiam; sic enim continet aliquod temporale. Secundo si pro temporali promittitur presentatio ad Ecclesiam, seu beneficium, *cum essent* 12. h. t. ubi etiam dicitur, quod promissum temporale præstans, eo ipso non consequatur beneficium Azor. p. 3. l. 12. c. 15. Tertio si quid temporale promittatur, vel ex pacto detur, vel pro electione certæ personæ, etiam dignissima. Less. l. 2. c. 25. n. 112. vel si quis alteri promittat suum suffragium, ut vicissim ille promittenti det suum. sic Azor p. 3. l. 13. c. 3. q. 2. vel si pro suffragio in electione dando promittitur beneficium *c. de hoc* 11. h. t. Azor cit. c. 7. q. 1. aut si temporale promittatur, ne huic certæ personæ quis det suum suffragium. Gl. in c. *Nemo* h. t. v. *celet*. Ubi Barbosa ibid. n. 3. addit, simoniacam fore collationem beneficii, factam alicui prætextu consanguinitatis; sic etiam Azor cit. c. 11. q. 1. intellige, si conferens inde percipiat temporale commodum, ac ejus intuitu principaliter agat; his præmissis:

§. I.

An Simonia, qua committitur in provisionibus beneficiorum sit juris tantum Ecclesiastici?

477 **A**nteresolut. not. triplicem esse in hoc sententiam. Prima simpliciter affirmat, esse contra jus divinum; ita communiter Theologi cum Azor p. 3. l. 12. c. 11. q. 3. Layman. l. 4. tr. 10. c. ult. §. 5. n. 44. Secunda tenet esse tantum contra jus Ecclesiasticum; ita plerumque Canonistæ apud Jul. Clar. §. *Simonia*, n. 5. & Less. l. 2. c. 35. n. 26. Tertia docet, vendere beneficium curatum, & habens annexam jurisdictionem, esse contra jus divinum; non autem vendere beneficium simplex; ita nonnulli apud P. Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 24. n. 20. & hanc cæteris probabiliorum censet Pirhing. hic n. 75.

478 Not. 2. Beneficium rectè definiti, *jus percipiendi redditus, seu fructus annuos ex bonis Ecclesiasticis propter officium, seu ministerium Ecclesiasticum*. Sic sumptum importat duplex jus; unum ministrandi spiritualia; alterum, percipiendi eos redditus: hoc dupliciter considerari potest; nimirum vel secundum quod explicat illud jus perci-

Tom. V.

piendi redditus illos temporales, acceptum præcisè, & secundum se; vel in quantum tale jus obtingit propter, ac per officium, seu ministerium Ecclesiasticum. Primo modo *beneficium* sumitur *materialiter*; secundo *formaliter*; his positis:

Re. primo, propriâ autoritate vendere, vel emere beneficium Ecclesiasticum sumptum formaliter, seu quâ importat jus ministrandi spiritualia, esse simoniam juris naturalis, & divini, nam hoc jus est verè spirituale, juxta n. præced. & sacrum, & à Christo institutum; ergo si pretio daretur, vel acciperetur, esset vera simonia juris naturalis, & divini per jam dicta: *pretium* enim propriè importat animum commensurandi datum cum illo. Re. 2. Vendere, vel emere beneficium Ecclesiasticum, *sumptum materialiter*, seu quâ importat jus percipiendi, seu obtinendi redditus annuos ex bonis Ecclesiasticis, non esse simoniam juris naturalis, & divini, sed juris tantum Ecclesiastici. Ratio primi est, quia *sumptum naturaliter*, & quâ dicit jus obtinendi eos fructus secundum se præcisè, est quid merè temporale, & autoritate Pontificis separari potest à titulo illo speciali, seu ministerio, propter quod aliàs obtinetur, assignando ex illo beneficio alicui pensionem annuam, vel etiam sibi applicando, & aliunde providendo de sustentatione habenti officium spirituale. Ratio secundi est; quia vendere alicui jus obtinendi fructus annuos ex bonis Ecclesiasticis est prohibitum jure Ecclesiastico in *c. fin. de Pactis* (ubi habetur *omnes pactiones & conventiones in spiritualibus nullius esse momenti*) *c. super eo 7. de Transact.* ibi: *transigi super re sacra non potest* (pactione nimirum onerosâ, ut notat textus) *quia res sacra, ut possideantur aliquo dato, vel retento, seu promisso, speciebus credimus habere simonia.*

Ex hoc coll. 1. quando dicitur *beneficium dari propter officium*, aliud non intelligi, quàm quod non possit in alium transferri, quin simul onus ad officium transferatur; excipe nisi dispense Papa, conferens alicui beneficium, duntaxat acceptum *materialiter*, ut dictum est. Coll. 2. hic sub ista voce *beneficium Ecclesiasticum* comprehendi Episcopatus, Abbatias, Prioratus, Archidiaconatus, & alias dignitates Ecclesiasticas, atque canonicatus, Vicarias perpetuas, & alia hujusmodi; quæ si sumpta *formaliter* pretio commutentur, incidunt

N 2

in

in simoniam juris divini; si sumpta *materialiter*, in simoniam juris tantum Ecclesiastici, ut jam præmissum est, quibus possitis:

§. 7.

An absque simonia beneficiatus locare, aut vendere possit fructus sui beneficii?

480 **R** Esp. posse, si locationem non extendat ultra dies vitæ suæ, ita Panormit. c. *Querelam*, Ne Prælati vices suas. Et ratio est; quia pactio, & commutatio, in præsentis casu, contingit inter merè temporalia. Nec obstat Extravag. *Ambitiosa*, de reb. Ecclæs. non alienand. ubi cavetur sub poena excommunicationis, & privationis beneficii, *ne ultra triennium locentur*; ex quo videtur inferri posse, quod licet ea locatio ad dies vitæ locantis non sit simoniaca, erit tamen graviter illicita. *Et* illam extravagantem nullibi receptam esse, doceri expressè à Navarra, Cajetano, & Toledo, quos cit. & sequitur Castropal. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 13. Cæterum ad hoc jam responsum est in lib. 3. decret. tit. de reb. Ecclæs. non alien. V. dicenda in seqq. a n. 599.

§. 3.

An absque simonia emi, & vendi possint pensiones?

481 **P**ensio, alia est merè *laicalis*, quæ non fundatur in titulo ministerii, aut officii spiritualis; cujusmodi est illa, quæ datur alicui v. g. ad pulsandum organum, Campanas &c. & hæc citra omnem simoniam labem emi, vendi, vel redimi potest; cum in hac commutatione non interveniat quidquam spirituale, ne quidem in ratione, propter quam talis pensio, seu portio, ex fructibus beneficii alicujus detracta, pensionario assignatur. Alia est *clericalis*, quæ soli Clerico concedi potest, & vel assignatur determinatione personæ, nimirum habenti tale officium. v. g. Concionatoris, Visitatoris, Coadjutoris Episcopi, &c. vel datur solum alio titulo; ad sustentationem Clerico pauperi; 2. seni Parocho non valenti servire amplius, ejus beneficio alteri dato, cum onere pensionis illi tribuendæ; 3. quæ datur renuntianti beneficio pacificè possessio. 4. quæ ad litem in beneficio componendam; quibus positis:

482 **Q**uæstio est, an emptio, & venditio pensionum *Clericalium* sit simoniaca? ante

resolut. nota, ejusmodi pensionarios perceptionem illorum fructuum non habere, nisi titulo spirituali, & obligatione recitandi officium parvum B. V. M. ut pat. ex Constit. Pii V. incip. *Ex proximo*; & est 138. in ordine Bullar. edita 1571. quam esse receptam, & observari; docet Castropal. cit. n. 8. §. *de omnibus*; quo posito. *Et* ad quæst. qualiter diximus beneficium Ecclesiasticum emi, & vendi propriâ autoritate posse, aut non posse, adhibita distincta data in n. 479. & seq. taliter etiam dicendum de pensione *Clericali*, sumptâ sive *formaliter*, sive *materialiter*; ratio enim utrobique est eadem. Quia pensio Clericalis nihil aliud est, quam jus percipiendi fructus, medio spirituali officio, vel simili titulo; consequenter, æquè considerari potest *formaliter*, & *materialiter*; & sub hac diversâ consideratione venire sub datis responsionibus à n. 479. Quod diximus de beneficiis, & pensionibus Clericalibus, dicendum quoque venit de præsimoniis, de commendis spiritualibus, Capellanis, & Hospitalibus Ecclesiasticis, seu autoritate Ordinarii institutis, & secum ferentibus administrationem spirituales. Ratio eadem est; Cum fundentur in titulo spirituali; de quibus plura Castropal. cit. n. 12.

§. 4.

An absque simonia emi, & vendi possit jus Patronatus?

Jus patronatus, est jus præsentandi ad beneficia, concessum alicui ab Ecclesia ex gratitudine, propter aliquod obsequium ab illo acceptum; consequenter est aliquid spirituale, *non in se*, & formaliter; sed *annexivè*, ut diximus lib. 3. tit. 38. Tripliciter hoc jus ab habente in alium transferri potest. 1. jure hæreditario. 2. donatione liberâ. 3. pretio seu translatione onerosâ accipienti, de prioribus duobus modis egimus lib. 3. loco cit. de posteriori in præsentis procedit quæstio. Not. autem dupliciter fieri posse, quod vis patronatus pretio seu venditione in alterum transferatur; primò *ratione sui*, & *directè* quando scilicet ipsum jus patronatus ratione sui venit in appropriationem, vel res cui annexa est, ratione ipsius majoris venditur. 2. *solum indirectè*, & *accessoriè*, ut cum directè venditur villa, castrum, fundus, cui jus patronatus annexum est, quin illo modo jus patro-

tronatus veniat in appretiationem, seu res, cui annectitur, ejus intuitu, carius vendatur; qualiter, cum venditur calix, sola ejus materiã veniente in appretiationem, nullatenus pretium ejus augetur ratione consecrationis annexæ, quibus positus:

484. *Pr.* Translationem juris patronatûs directè, factam pretio, simoniacam esse de jure Ecclesiastico, ut dicitur c. *de jicere*. 10. de jure patron. ibi: de jure verò patronatus &c. *Mandamus, quatenus si R. illud comparavit, (cum inconueniens sit, vendi jus patronatûs, quod est spirituali annexum) contractum illum irritum decernas;* ubi rubrica notat, si per se vendatur, & ratione sui; quia sic spirituale daretur pretio. Idem habetur in c. *præterea* 23. eod. In quæstione autem an jus patronatus sit ex jure divino invendibile? Negativam sequitur Abbas, & alii in Rubric. de Jure patron. & in c. *Quanto* 3. de Judic. Soto, Navarr. Sylvest. & alii apud P. Suarez l. 4. de simon. c. 28. n. 6. Ratio eorum est; quia non est jus ad actum spirituale; nam *presentatio* (ad quam dicitur) non est actus spiritualis, utpote nullum præsentato tribuens jus in beneficium, antè præsentati institutionem in illo, factam à Prælato. 2. quia jus patronatûs *in se* non est quid spirituale, sed tantum spiritualibus annexum; cum transeat ad hæredes, etiam extraneos.

485. Probabilior tamen videtur affirmativa; quam tenet Suarez tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 28. n. 7. Lessius l. 2. de Just. c. 35. d. 11. n. 128. Gloss. in c. *Pia mentis* 16. q. 7. & in c. *Præterea*. 1. de Transact. quos citat, & sequitur Castropalaus p. 14. n. 3. quod tamen intellige, si vendatur directè, juxta expositionem in n. 483. Nam quando pretio datur, & accipitur spirituale, licet solum annexivè tale, committitur simonia juris Divini ex dictis: sed si jus patronatûs *directè* venditur, pretio datur, & accipitur spirituale annexivè late, ut constat ex cit. num. ergo. Ad primam rationem in contrarium in n. 484. *Pr.* N. ma. Presentatio enim *ex principio*, & *sine*, actus spiritualis est, ut exposuimus supr. *Ex principio*; quia est actus juris, quod ab Ecclesia in sui institutione pendet, & non, nisi per potestatem Ecclesiæ concedi potest; *ex sine*; cum ordinetur ad institutionem in beneficio personæ Clericalis, quæ in eodem fungatur divino ministerio. Ad id, quod additur ibid. *Pr.* cum distinctione: præsentatus

ex præsentatione non consequitur jus proximum ad beneficium. C. *remotum*. N. nam *ex vi presentationis habet*, quòd, si idoneus sit, institui debeat ipse, per c. *significasti*, 18. & c. *suggestum*, de jure patron. quin eo rejecto possit alius; exc. *illud prætereundum*, 8. eodem.

Ad secundam rationem in eodem n. 486 484. Concedo, jus patronatus *in se* non esse quid spirituale, nimirum intrinsecè, ut diximus loc. cit. quia tamen extrinsecè, ac annexivè est aliquid spirituale; jam est materia simoniæ juris divini, si veniat in appretiationem rei temporalis, ut sæpius jam ostensum est; sic qui hominem *in sacris* constitutum, *ratione ordinis sacri*; vel species panis, & vini, *ratione consecrationis carius venderet*, ex communi Doctorum consensu committeret simoniam juris divini; licet nec homo, nec illæ species, seu accidentiæ, in se sint quid spirituale; sed solum annexivè. Ex hoc autem, quòd jus patronatus hæreditate, donatione, vel etiam alienatione rei, cui annectitur, solum *accessoriè* transferatur in Laicos, nec sequitur, quòd non sit aliquid *annexivè spirituale*, nec, quòd non sit *materia simoniæ juris divini*, quando *directè* alienatur pretio. Nam jus eligendi ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas, non minus, ac jus patronatûs, ex gratia concedi posset Laicis ab Ecclesia, & tamen pretio acquiri non potest, si *directè* veniat in appretiationem, sine simonia juris divini.

Ex dictis Coll. 1. jus patronatus jure 487 hæreditario transmitti posse in hæredes, etiam extraneos, ut absolute, ac indefinite dicitur in c. *considerandum*; c. *si plures*. 16. q. 7. sic gloss. in Clem. 2. de jure patronat. & Joan. Andr. c. *Cum seculum*; eodem. Coll. 2. habentes jus patronatûs, posse illud transferre in alterum donatione merè liberali, & quidem sine consensu Ordinarii, si donatio fiat loco religioso; non autem, si aliis. Ratio primæ partis est, quia quilibet potest, jus, quod habet, transferre in alium talis juris capacem, nullâ lege translationem annullante prohibitum. Ratio secundæ partis est, exc. *unic.* de jure patron. in 6. ibi: *hujusmodi collatio (quavis absque assensu Episcopi facta fuerit) efficax est censenda;* ubi cum specialis favor sit propter *locum religiosum*; per oppositum sequitur, si donatio fiat alteri, non valere, & videtur colligi ex c. *suggestum*. 20. h. t. ex quo

quo pat. ratio 3. partis. Coll. 3. jus patronatus valide liciteque vendi possit *solum indirectè* juxta expositionem in n. 483. quia sic ipsum nullatenus venit in appetitionem; consequenter non est venditio simoniaca; & definitum est in c. *Ex literis*. 7. h.t. ubi dicitur, quod *si jus patronatus consistat in aliqua universitate temporalium, transeat cum ipsa, etiamsi universitas transeat tantum, quoad utile dominium, nisi jus patronatus specificè sit exceptum.*

S. 5.

An absque simonia emi, & vendi possint temporalia Ecclesie officia?

488 **S**ermo est de officiis, quæ habent administrationem rerum solum temporalium pertinentium ad Ecclesiam, cujusmodi sunt *æconomi*, qui res Ecclesie, & Canonicorum gubernant; *Vicedomini*, qui curam rerum Episcopi gerit; *Advocati*, seu *Syndici*, qui ab Ecclesia constitutus, *ex officio* ejus causas defendit: *Judicis*, qui loco Episcopi, vel Prælati, qui præst, jurisdictionem in temporalibus exercet &c. de his igitur præfens quæstio procedit. In qua communior sententia tenet, venditionem, ac emptionem talium officiorum, simoniacam esse de jure solum Ecclesiastico. Nam, qui officium Oeconomi, Vicedomini, Advocati, Sacristæ, Castaldi, & Judicis vendit, dicitur *participare cum Simone*. c. 8. *si quis Episcopus*. 1. q. 1. & c. *Salvator*. 1. q. 3. & in c. *Consulere*. 38. de simonia, ementes, ac vendentes Vicedominatum, vel aliam rerum Ecclesiasticarum administrationem, *cum Simone percelluntur*; in quem locum Castropalaus cit. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 14. n. 9. *percelluntur autem*, inquit, *quia committunt simoniam*; & ut not. Barbof. in cit. c. *Consulere*, n. 1. excluduntur ab illa Ecclesia, cui facta est contumelia per ejusmodi actum simoniacum; n. 2. & Suarez tom. 1. de Religion. l. 4. de simonia c. 20. n. 8. & seq. dicente: *omnes actus jurisdictionis voluntariae, quatenus ad effectum spirituales ordinantur, materiam esse simoniae.*

ARTICULUS VII.

De simonia, qua committitur in permutatione spiritualium.

489 **L**oquimur de permutatione alicujus spiritualis pro spirituali. v. g. beneficii pro

beneficio; calicis pro calice &c. Hinc esto in c. *Quam pio* 1. q. 2. c. *super eo*, de transact. item c. *Cum pridem*, & c. *fin.* de pactis, generaliter prohibita sit omnis pactio, quæ fit pro consequendis spiritualibus, intelligendum tamen venit, quando pactum fit de dando temporali, pro consequendo spirituali; ve contra; his positis:

Quæres 1. quæ permutatio spiritualium prohibita sit? 2. nullam permutationem spiritualium inter se, prohibitam esse, nisi beneficiorum, & cujusvis juris, beneficia concernentis, si fiat autoritate propria. Ita Rebuff. in pract. 3. p. tit. de permut. n. 52. Suarez cit. l. 4. c. 31. n. 8. & communis contra gloss. & Innocent. in c. *Quæstum*, de rerum permut. pro quo not. quædam esse pure spiritualia, ut sunt *sacramenta, oratio, sacrificium, consecratio* &c. Quædam mixta, quibus scilicet annexum est aliud corporale, ut liquet in *vestibus sacris, calicibus* &c. quibus positus ratio est, quia nulla in toto jure extat prohibitio de spirituali sive puro, sive mixto, cum spirituali permutando, nisi permutatio versetur circa beneficia, & jus aliquod ea concernentia, si fiat propria autoritate. Prima pars probatur 1. ex c. *Non satis*. 8. *Cum in Ecclesia* 9. c. *Ad nostram* 2. de simonia, ubi agitur de pure spiritualibus, & solum cavetur, *ne pretio vendantur* in c. *Non satis*, dicitur: *prohibemus, ne à volentibus ad Religionem transire aliqua pecunia requiratur; & ne Prioratus, vel Capellaniam qualibet annuâ distractione vendantur; & paulò post, ne ab eo cui regimen ipsarum committitur, ullum pretium exigatur; & sic de aliis.* Deinde ubi fit in jure mentio de spiritualibus mixtis, non tantum non extat prohibitio permutationis; sed potius approbatur, ut liquet ex c. *Ad quæstiones*, de rerum permutationibus. Ibi enim approbata reperitur *Unius Ecclesie pro alia facta permutatio.*

Probatur etiam secunda pars 1. ex c. 491 *Quæstum*. 5. de rerum permut. ubi Urbanus III. sic loquitur: *generaliter itaque venias, quod commutationes prebendarum de jure fieri non possint, præsertim cum pactione præmissa; quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem continent semper simoniae; & c. Cum olim*, 7. eod. ubi secundum Rubricam, ex rescripto Innoc. III. ad Senon. Archiepisc. habetur, *quod sua beneficia perdant, qui ea propria permutant autoritate ex quo coll. 1. cum citati canones indefinitè loquantur de per-*

permutationibus præbendarum, non posse admitti exceptionem gloss. in cit. c. *Quæsitum*, volentis, præbendas ejusdem Ecclesiæ, ac ejusdem rationis, posse privatim permutari. Hanc enim exceptionem jus non admittit; cum ejus prohibitio sit generalis. Et ratio ulterior est. 1. quia si antiquos Ecclesiæ canones inspiciamus, non invenimus olim licuisse beneficiis, beneficiis Ecclesiasticum habentibus, propriam Ecclesiæ deferere, & ad aliam se transferre, aut Ecclesiæ, cui mancipati fuerant per Ordinationem, renuntiare irrequisito proprio Episcopo 1. quia renuntiatio suæ Ecclesiæ per c. *Admonet*, de Renunt. fieri nequit inconsulto Ordinario; ergo nec permutatio, quæ non potest sine renuntiatione fieri. 2. quia aliàs beneficium novum sine canonica institutione ambo ingrederentur contra c. 1. de regul. juris in 6. nam ipsi nequeunt sibi invicem institutionem facere. 3. quia sic fieri posset permutatio rei alienæ, quæ nulla est L. 1. §. ult. ff. de rerum permut. beneficiarii enim non sunt domini beneficiorum.

492 Coll. 2. Commutationem beneficiorum, & jurium ea concernentium illicitam, jure Ecclesiastico *simoniacam esse*, ut constat. ex cit. 2. *Quæsitum*, ibi: *labem continent semper simonia*; pro quo rectè intelligendo, recolenda sunt, quæ jam diximus in præmissis, qualiter etiam ejusmodi pacta, labem simoniæ contineant? Coll. 3. cum cit. textus ex c. *Quæsitum*, & c. *cum olim*, solum loquantur de præbendarum permutatione; prævia verò tractatio partium de faciendâ permutatione, etiam sub onere pensionis, & obligatio ad permutandum sub conditione, si Superior consenserit, non sit permutatio, sed solum quædam dispositio, & via ad illam, *valent tractationem præviam, & obligationem sub conditione, licet factam ante consensum superioris*, nec simoniacam, nec illicitam esse; nam sic non comprehenditur sub ulla prohibitione. Coll. 4. permutationem beneficiorum, *authoritate Superioris licitam esse c. inter cætera*, de præbendis; c. *Quæsitum*; c. *Universorum*, c. *cum olim*, c. *ad quæstiones*, de rerum permut. c. *Unico* eodem in 6. & Clement. *unicâ*, eod. Cujus ratio est, quia sic, & non aliter, prohibetur permutatio beneficiorum, in quantum opponitur virtuti Religionis, secundum quod hæc intenditur à

lege permutationem, autoritate privatâ factam, prohibente.

Dices in c. *Quæsitum* de quo n. 491. 493 expressè dicitur, *generaliter tenendum, quòd commutationes Præbendarum de jure fieri non possint*; ergo non tantum privatâ, sed etiam Superioris autoritate. R. N. conseq. Nam consuetudo est optima legis interpres; hæc autem dictum textum non accipit aliter, quàm de permutatione facta *propriâ permutantium*, non Superioris voluntate, id quod etiam apertè declarat c. *Cum olim*, in eodem n. 491. citatum. Ibi enim expressè agitur de permutatione cujusdam Archidiaconatus cum certa Præpositura, quæ facta est inter S. & B. nullius Superioris autoritate interveniente, & ideo, ubi hoc constitit Innocentio III. rescripsit dicens: *& hunc Præpositurâ, & illum Archidiaconatu, curavimus spoliare, super hoc definitivam contra eos sententiam proferentes.*

Quæres 2. an in permutationibus beneficiorum, absque simonia possit fieri compensatio fructuum per pecuniam, vel pensionem? Casus esse potest, quando permutantur beneficia *inequalia in proventibus*; unde quæstio est, an si Titius beneficium suum, quod fert trecentos, permutet pro beneficio Caji, quod fert quingentos, Titius possit, quod in suo deficit, compensare Cajo, dando illi certam pecuniam; vel constituendo illi pensionem annuam ex beneficio, quod Cajo cedit Titio? Id non posse ipsos *permutantes autoritate suâ*, certum videtur, ut tenet Lessius l. 2. de Just. c. 35. de 17. n. 104. Suarez l. 4. c. 34. n. 10. Gloss. in c. *Cum pridem*, de pactis sic enim jus fructuum excedentium, fundatum in titulo spirituali, non transiret in alterum, nisi pecuniâ, vel, constitutâ pensione, separato jure proventuum, à titulo spirituali; at hoc secundum fieri non potest, nisi à summo Pontifice; ut mox dicemus; & primum est manifestè simoniacum; ergo.

Dices: c. *Ad Quæstiones*, de ref. per- 495 mutationibus, Clemens III. approbavit permutationem, factam unius Ecclesiæ Parochialis, ac possessionum ejus, cum alia Ecclesia, & possessionibus ejus, possessionum inæqualitate per pecuniam compensatâ, sic tamen, ut illi contractus nequaquam sibi invicem miscerentur. Sed hoc non obstat; quia possessiones illæ in-
æqua-

æquales non erant penes possessores *ritulo spiritali*, sed *merè temporali*; Unde meritò concedi, vel approbari potuit, ut dans possessionem suam, quam habebat sub dominio suo temporali, ac recipiens alias, sed minores in valore, defectum reciperet oblatà pecunià; ita Suarez supra cit. n. 13. & videtur colligi ex ipso textu, ibi: *Respondemus, eum de dictis parcialibus Ecclesis per se*, nimirum ex natura rei, imò & *jure Ecclesiastico queat commutatio celebrari & in permutatione possessionum per se non sit inhibitorium, si altera ratione possessionum præponderet*; modò id fiat non auctoritate permutantium, sed Superioris, ut colligitur ex c. 5. 6. & 7. de rerum permutatione, ex quibus Gonzalez ad cit. c. 7. n. 5. sequentem deducit decisionem: *permutationem præbenda, seu beneficii factam, irrequisito proprio Prælato, nullam esse; imò, qui permutavit propria auctoritate, privari beneficio ita permutato*; ex quo per oppositum sequitur, licitè valideque illam fieri, si procedat cum proprii Prælati consensu.

496 Difficultas est, an, quando jus fructuum, fundatum in titulo spiritali unius beneficii, plus infert, quàm alterum, permutatio fieri possit cum compensatione inæqualitatis saltem Superioris auctoritate? De summo Pontifice non est dubium. Nam ipse potest jus fructuum temporale separare à titulo spiritali. De Ordinario, auctores dubitant; eum tamen posse concedere, ut sic fiat permutatio, affirmat Zerola in praxi Epif. p. 2. V. *Pensio* n. 1. & plures alii apud Castropal. p. 3. tract. 17. D. 3. p. 16. n. 2. Ratio est. Quia Ordinarius ex justa causa potest pensionem imponere; sed in tali casu propter inæqualitatem fructuum compensandam, est justa causa: Ergo.

497 Contrarium tamen probabilius est, nimirum non posse auctoritate Ordinarii in permutatione beneficiorum imponi pensionem beneficio pingui. Nam Episcopus tenetur conferre beneficia sine diminutione juxta titulum. *Ut beneficia sine diminutione conferantur*; quod non fieret, si conferret imposità pensione. Deinde Valentia D. 6. q. 16. p. 3. testatur, consuetudine hanc facultatem Ordinariis negari, & confirmari potest ex mox dicendis; ita Suarez l. 4. c. 34. n. 16. Garcia p. 1. de benefic. c. 5. à n. 341. & complures alii cum Castropal. cit. n. 3. Nam in c. *Unico*, Ut

beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur, Innocentius III. rescribens Mediolan. Archiepiscopo, expressè ait. 1. *ipsi non licuisse cum pactione, vel conventionem quacunque, sub modo, vel tenore præscripto concedere nudum officium, & sibi retinere proventus*; cum in Lateranensi Concilio prohibitum sit, *ne quis, conferendo Ecclesiasticum beneficium partem proventuum suis usibus retinere præsumat; & alibi cautum sit, ut beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*. 2. Si quis ante donationem, vel collationem beneficii percepit fructus, & ante constituit ex causa necessaria, ut retineat fructus, id licitum esse; non autem, si convenit cum eo, qui accipit beneficium; vel cum mediatore, ut retineat proventus, & concedat sic beneficium; hoc enim est illicitum, & esse Simoniam palliatam, rectè observat Barbof. in cit. c. *Unic.* n. 1.

Ad rationem in contrar. in n. 496. p. 498 majorem veram esse de beneficio vacante, ut rectè notat Barbof. cit. in c. *Unic.* n. 10. ibi: *Dummodo id faciat vacante beneficio*; at in dicto casu permutationis factæ, ut inæqualitas compensetur pensione imposità beneficio pingui, non imponitur vacanti, sed *vacaturo sub conditione imposita pensionis*: Ergo; Accedit, quòd sic Episcopus concederet *nudum officium* successori in beneficio, saltem in parte separatum à jure fructuum, quod attribuitur alteri cedenti beneficio pingue, retentà pensione, Episcopi auctoritate. Hinc Pius V. in constitutione 58. eas tantum permutationes permittit, admitti posse ab Ordinariis, quæ juri consonæ sunt. Ibi: *adhuc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quæ canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur*, id est, quæ auctoritate Episcopi ex justa causa celebrantur.

Præter hoc not. 1. cum dicimus per-499 mutationes beneficiorum Episcopi auctoritate celebrari posse, appellatione *Episcopi* comprehendendi quemcunque habentem jurisdictionem Episcopalem pro suo territorio. Quotiescunque enim aliquid competit Episcopo *ratione jurisdictionis*, non autem *ratione Ordinis*, id peragi potest ab aliis, qui eandem jurisdictionem exercent, ita Suarez l. 4. de simonia, c. 32. n. 14. Gibalinus de Simon. q. 14. Consecr. 8. n. 5. & alii.

Not. 2.

500 Not. 2. Etiam si institutio pertineat ad alium, v. g. Archidiaconum, in beneficio permutato, adhuc tamen debere intervenire auctoritatem Episcopi, & coram hoc permutationem celebrari; nam auctoritas Episcopi non requiritur in casu talium permutationum *titulo institutionis ab ipso faciendæ in novo beneficio; sed ut cognoscat, an in permutatione justa causa subsit? vel labes simoniae interveniat?* intervenire autem præterea debet consensus Collatorum, ac eorum, quorum interest collationem fieri, vel non fieri, sic Gibalin. cit.

501 Not. 3. Licet juxta veriolem sententiam, quando beneficium permutatur cum beneficio purè, & absolute, non interveniat simonia, ut docet Emanuel, Gonzalez in cit. c. 7. De rerum permutat. n. 9. cum non fiat inter spirituale, ac temporale; quia tamen propter inæqualitatem fructuum facile simonia intervenire potest, similesque actiones illicitæ, ac periculose judicantur; requiri Episcopi auctoritatem, & secus titulo simoniae prohiberi ab Ecclesia.

ARTICULUS VIII.

De Simonia, qua contingit in beneficii renuntiatione.

502 **A**Nte resolut. not. 1. renuntiationem beneficii, esse liberam ejus cessionem, factam cum consensu Superioris, renuntiationem acceptantis, ut constat ex c. *Admonet*; c. *quod in dubiis*; c. *nisi cum pridem*; & c. *fin.* de Renuntiat. c. denique 6. q. 3. & c. 1. 17. q. 2. Et ideo seclusâ tali Superioris admissione, beneficium quamvis renuntiatum, nec quoad renuntiantem vacat juxta sententiam probabiliorem, ut docet gloss. in c. *Quod DEI timorem*, de statu Monachorum; asserens id tenere omnes ferè Doctores; quamvis Superior taliter renuntiantem, ob commissum delictum beneficio privare possit, ac illud alteri conferre Not. 2. Hanc quæstionem de beneficiorum resignatione, cujus valori necessarius sit consensus Superioris, resignationem acceptantis, non debere intelligi de renuntiatione beneficii, *nisi pacificè acquisitum, licet nondum possessum*, qualia non sunt beneficia *litigiosa*, vel *nondam acquisita*, esto sit jus ad illud. Nam in his non requiritur, ut in eorum renuntiatione inter-

Tom. 8.

veniat auctoritas Superioris c. 2. *De in integrum restitut. c. ad audientiam* 2. de re script. c. *si electo*, de elect. in 6. Et ideo nominatus, præsentatus, vel electus ad aliquod beneficium potest sine Superioris auctoritate tali nominationi, præsentationi, vel electioni de se factæ, purè renuntiare, his præmissis:

§. 1.

An resignatio sub conditione, coram Ordinario facta, contineat simoniam?

NOt. resignationem beneficii sub conditione factam, ut alteri detur, à nullo Superiore admitti, vel acceptari posse, nisi à summo Pontifice, sive beneficio imponatur pensio, sive non; quia nullus, Papâ inferior, conferre potest beneficia, nisi prius vacent, ut constat ex c. *Unic.* de rer. permutat. in 6. Ex quo sequitur, si fiat coram inferiore Prælate, renuntiationem talem esse irritam, ac nullam, defectu admissionis à Superiore legitimo, pertinentis ad valorem talis renuntiationis.

Hanc resignationem sub dicta conditione coram Ordinario factam, continere simoniam juris Ecclesiastici, præsertim post constit. 58. Pii. V. incip. *Quanta Ecclesia DEI*, docet Flamin. de resignat. l. 5. q. 6. & l. 14. q. 3. n. 12. Garcia p. 9. c. 3. §. 2. à n. 152. Nam in tali casu coram Ordinario fit pactio de beneficio alteri conferendo; omnis autem pactio in spiritualibus est prohibita propter vitandam simoniam c. *fin.* de Pactis. Verum in dato casu non intervenit pactio rei temporalis pro spirituali consequendo; igitur talis renuntiatio simoniaca non est. Ant. prob. quia ex hoc, quod beneficiatus coram Ordinario resignet beneficium sub conditione, ut alteri conferatur, Ordinarius non adstringitur illam admittere; imò, si constaret, quod renuntians, *sciens* fecerit talem resignationem, Ordinarius taliter resignantem posset beneficio privare in poenam delicti, in renuntiatione commissi. Sic Lessius L. 2. de just. c. 35. d. 14. n. 86, & eo casu poterit alteri conferre tanquam *vacans ex privatione pœnali*. Et ideo illam renuntiationem esse simoniacam merito negant Covarr. l. 1. Variat. c. 5. n. 5. Zerola in praxi Episcopali p. 1. *V. Renuntiatio*, §. 2. & 3. quos citat, & sequitur Caltropal. cit. D. 3. p. 17. n. 5.

Dixi,

504 Dixi, *tanquam vacans ex privatione pœnali*. Nam si Ordinarius rejiciat conditionem, non poterit beneficium conditionatè renuntiatum conferre alteri, *tanquam vacans ex renuntiatione*, ut tenet Rebuff. de Resignat. Condit. n. 7. Less. l. 2. c. 35. n. 68. & alii. Nam renuntiatio conditionata, non admittà conditione, nulla est, consequenter nullum effectum producit; adeoque sic beneficium renuntiatum non vacat; præsertim, cum actus sub una conditione, vel modo factus indivisibiliter, non possit admitti quoad unam tantum partem, sed debeat admitti, vel rejici, totus, juxta L. Aurelius 28. §. *idem quasi*, ff. de liberat. legata. Quod attinet cit. constitutionem, §. 8. Pius V. de qua supra, responderetur; in ea talem renuntiationem non prohiberi *ut simoniacam*; sed ibi solum auferri facultatem Ordinariis admittendi *quaslibet resignationes conditionatas*, imò & simplices, nisi illorum, qui senio, vel corporis vitio, aut alio titulo vel non possunt, vel etiam non debent Ecclesiæ, vel beneficio inservire.

505 Quæstio est, an, cum quis titulo senii, vel simili causâ, propter quam non potest, aut debet amplius inservire suæ Ecclesiæ, resignat suum beneficium coram Ordinario, & vel illi supplicat, vel eâ intentione resignat, ut certæ personæ beneficium conferat, talis renuntiatio simoniam, saltem juris Ecclesiastici, contineat? R. probabiliorē esse negativam, licet facta sit eâ intentione, spe, ac supplicatione, ut detur certæ personæ, *si non deducatur in pactum*. Sic Navarrus in summa, c. 23. n. 107. Azor. l. 7. c. 21. q. 31. & c. 27. q. 6. nam sine pactioe consequendi spirituale, pro temporali, non est simonia; secus intercedente pacto, saltem æquivalenter, ut dictum est supr. Verum quidem est, in cit. constit. §. 8. Pii V. prohiberi *quaslibet resignationem, & intentionem inter conferentem, & resignantem de dando beneficio certæ personæ*; etiamsi pactum non intercedat, si talis intentio manifestetur Ordinario, ut notat P. Suarez l. 4. c. 35. n. 17. non tamen prohiberi, *ut Simoniacam*, nisi deducta sit in tacitam, vel expressam conventionem dandi beneficium personæ designatæ, cum in eam redunder commodum temporale. Sic Navarr. Flamin. & Garcia, cum & apud Castropalaum cit. n. 10.

S. 2.

An, & qualem simoniam contineat beneficiorum resignationes reciproca?

506 Supponendum resignationes factas in favorem certæ personæ de jure Ordinariis, & Resignantibus esse omnino prohibitas, ut constat ex cit. constitut. §. 8. Pii V. & ex n. 502. Resignationes autem reciprocae sunt, ac dicuntur, quando v. g. Titius resignat suum beneficium in favorem nepotis, vel consanguinei Caji v. g. & Cajus suum in favorem Titii. Hæ, & similes resignationes reciprocae fieri non possunt coram Ordinariis; & sic facta *tanquam simoniaca* puniuntur; Sic Castropalaus cit. p. 17. n. 11. cum Lessio l. 2. de just. c. 25. D. 14. n. 87. Suarez lib. 4. c. 35. n. 18. &c. Ratio autem est ex c. *Tua nos*. De Simon. & c. *fin.* de Pact. ubi prohibetur, tanquam simoniaca, omnis pactio temporalium, pro spirituali consequendo, quæ de jure non inest beneficii renuntiationi; sed in beneficii resignatione de jure non inest eâ reciprocationis pactio, quæ tamen continet temporale commodum saltem regulariter; ergo

Dices: *Permutationi* beneficii cum 507 beneficio de jure inest pactio in favorem alterius, & tamen non prohibetur tanquam simoniaca; ergo cum etiam *renuntiationi* reciprocae inest permutatio, etiam ei de jure inest pactio in favorem alterius, consequenter non prohibetur tanquam simoniaca. R. N. conseq. quia *permutationi*, quæ contingit in renuntiatione reciproca, inest etiam *resignatio in favorem tertii*; hinc non est permutatio pura, sicut in antecedenti; sed *mixta*, nimirum, resignatione in favorem tertii, prohibita. Eodem modo prohibita est resignatio *triangularis*, quæ contingit, si Titius resignet suum beneficium in favorem Sempronii; hic suum in favorem Caji, & Cajus renuntiet suum in favorem Titii; sic enim primus obligat secundum; iste tertium, ut secundus resignet in favorem tertii, & tertius in favorem primi. Ratio est ead.

Præterea not. Probabilius non valere, 508 imò simoniacam esse; renuntiationem factam coram Ordinario de beneficio cum reservatione pensionis ex beneficio resignato, eamq; Ordinarium non posse admittere *cum tali reservatione*; ita Suarez. cit. l. 4. c. 35. n. 21. Ratio primæ partis est, quia renuntia-

nuntiatio facta coram eo, qui admittere illam non potest, non valet; sed resignationem beneficii cum reservatione pensionis Ordinarius admittere non potest à n. 497. & dictum est lib. 3. tit. 12. Ratio secundæ partis, quia tali casu dans beneficium cum pacto pensionis, dat spirituale pro temporali, & constabit amplius ex n. 513. infra.

509 Nota 2. Simoniacam esse renuntiationem beneficii (seclusâ summi Pontificis auctoritate) cum reservatione pensionis, obligando Resignatarium, ut vel anticipatò solvat; vel Resignanti hypothecam, vel fidejussorem Laicum constituat; sic enim imponit ei, *ex vi resignationis*, onus pretio æstimabile, quod illi de jure non inest; & pro Spirituali acquirendo, temporale exigitur. Ita Lessius l. 2. de Just. c. 35. D. 15. n. 93. Suarez cit. n. 23.

510 Not. 3. Simoniacam esse renuntiationem beneficii, simul obligando Resignatarium, ut solvat expensas factas in acquirendo beneficio. Nam hoc onus pretio æstimabile de jure non inest resignationi beneficii, cum ipsa secum non ferat eas expensas, utpote jam antè, cum beneficium acquisitum est, factas; ita Less. cit. n. 94. Suarez cit. n. 26. Flaminius de Resignat. q. 7. n. 1. &c. Excipe tamen expensas factas in ipsius beneficii, vel Ecclesiæ commodum, ut si nomine Ecclesiæ, suis sumptibus, recuperavit ab hæreticis, vel laicis. Tunc enim suum, quod in Ecclesiæ commodum expendit, repetit, tanquam sibi debitum justitiæ titulo. Sic Azor. p. 2. l. 7. c. 27. q. 8.

511 Præter hæc not. renuntiationem beneficii, factam in favorem alterius cum clausula: *Non aliter, non aliàs*, id est, sub ea conditione, ut beneficium resignatum conferatur certæ personæ, sic, ut resignatio non censeatur facta, nisi tali personæ conferatur, non continere simoniam contra jus divinum; aliàs enim nec à Papa admitti posset, modò gratis fiat; ita Suarez l. 4. de Simon. c. 35. n. 2. nec esse contra jus Ecclesiasticum docet Pirhing. de Renunt. n. 89. modò non præcedat pactum cum Episcopo, quo hic promittat, se beneficium illi collaturum, in cujus favorem hæc resignatio conditionalis fit; an autem admitti possit ab Ordinario? colligi potest ex n. 502.

Tom. V.

§. 3.

Quæ resignatio confidentialis sit Simoniaca?

PRO resolut. not. 1. ex dictis à n. 348. 512
resignationem confidentiæ contingere, si quis resignat beneficium conferenti, procuranti, eligenti, vel præsentanti, ex pacto cum eo, ut illud ipsum deinde resignet conferenti, procuranti &c. vel alteri (pura ejus nepoti, fratri &c.) cum fructibus, vel eorum portione. Not. 2. circa ejusmodi resignationes communiter assignari triplicem modum, quo contingunt ejusmodi resignationes confidentiæ; nimirum si quis resignet cum pacto accessus, vel regressus, aut ingressus in beneficium. Per *accessum* fit resignatio, cum quis cedit alteri beneficium sibi datum à collatore, præsentatore &c. eo pacto, ut illud ipsum alteri v. g. Collatoris nepoti (quia hic & nunc propter canonicum impedimentum (atatem v. g. non sufficientem) ejus capax non est) cessante impedimento cedat; & is propriâ auctoritate possit illud accipere. Renuntiatio *per regressum* fit, cum quis alteri cedit beneficium eo pacto, ut cessionario præmortuo, vel beneficium deserente, ipsi cedenti ad illud reverti detur, recuperato jure pristino. *Per ingressum*, cum quis alteri cedit beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, eo pacto, ut cessionario præmortuo, vel ulterius promotò, ipse cedens possessionem capere possit.

Not. 3. Circa ejusmodi resignationes 513
extare constitutionem Pii IV. 109. ordine, in Bullario, datam. 17. Calend. Novembris 1564. incip. *Romanum*. ac aliam Pii V. datam Calend. Junii 1569. in ordine 87. & incipiente *Insolerabilis*. In his autem constitutionibus prohibita sunt, *intuitu simoniaca pravitatis*, omnes beneficiorum Ecclesiasticorum resignationes *cum accessu, regressu, vel ingressu* ad beneficium, ac qualibet alia resignationes beneficiorum dictorum cum reservatione pensionis, vel fructus, factæ alteri, vel aliis.

Ut hæc constitutiones debite intelli. 514
gantur Not. 1. quòd loquantur *de solis beneficiis Ecclesiasticis*. Quare hæc simonia, licet procedat in illis cujuscunque ordinis sint, sive simplicia, sive curata, majora, vel minora, secularia, vel regularia, ut not. Laym. l. 4. n. 10. c. ult. §. 8. n. 74. & alii,

alii, locum tamen non habet *in pensionibus*, & aliis actibus spiritualibus, licet illicita quædam fiducia, seu pactum interveniat. Not. 2. renuntiationem confidentiæ, dictis constitutionibus prohibitam, tanquam simoniacâ pravitate infectam, committi *in renuntiationibus*, & quibuscunq; aliis provisionibus beneficiorum, si fiant cum expresso, vel tacito pacto includente dictam confidentiam; secus *in permutationibus*, esto ejusmodi confidentiam includant. Quia Bullæ loquuntur de *renuntiatione* includente illam; non de permutatione simpliciter: Unde illa permutatio continebit simoniam solum *communem*; non *confidentialem*; Pirhing hic n. 113.

515 Not. 3. Ut hæc confidentialis simonia in renuntiationibus committatur, non satis esse, dari, vel promitti *aliquid temporale utcunq;*, sed requiri hic, ut datum, vel promissum sit, vel *ipsa rursus cessio beneficii* renuntiati, vel collati; vel *fructus ejus*, aut omnes, aut pars eorum. V. Laym. cit. n. 75. Not. 4. sub hac prohibitionem probabilius non venire *permutationem* beneficii cum beneficio; quia dictæ constitutiones (quæ pœnales sunt) loquuntur solum de beneficiis *acceptis ex resignatione*, aut *cessione*; *permutatio* autem non proprie dicitur *resignatio*, vel *cessio*. Unde, licet in dato casu permutantes beneficia (si paciscerentur de dissolvenda *permutatione*, & regressu ad propria beneficia, vel resignando alteri, vel solvendis fructibus alii, vel aliis,) committerent simoniam communem; non tamen Simoniam confidentiæ; quia pactum hoc non interveniret *in renuntiatione*; ita Suarez cit. l. 4. c. 43. n. 11.

516 Dices: Ergo nec *collatores beneficiorum* committent simoniam *confidentialem*, licet beneficia conferant sub ejusmodi confidentiis, & pactis etiam ex causa permutationis. R. N. illatum. Nam Pius V. *quoad collatores* sub ejusmodi confidentia ex pacto, magis *universaliter* loquitur, quàm *quoad renuntiantes, & renuntiatarios*: Verba enim ejus sunt: Si *Ordinarius, aut Collator contulerit ante hæc, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticum quovis modo vacans*; at beneficium *vacat* etiam ex causa *permutationis*, sic, ut Renuntians non possit redire ad idem beneficium renuntiatum, sine nova collatione, esto renun-

tatio non haberet effectum; ita Castropalaus cit. p. 18. n. 2. & apud eum Garcia de benefic. p. 11. c. 4. à n. 1.

Quæstio tamen est 1. an resignatio beneficii, facta *cum intentione*, ut Resignatarius iterum beneficium resignet (v.g. nepoti Resignantis) cadat sub prohibitionem Constitutionum Pii IV. & V. de quibus n. 513. etiam si non intercedat pactum, sed sola intentio resignantis manifestetur Resignatario? R. probabilius affirmari. Sic Garcia p. 11. de benefic. c. 3. à n. 184. Flamjn. de Confident. q. 26. à n. 39. Suarez. tom. 5. d. 22. l. 11. de Censur. l. 6. n. 15. Ratio est ex verbis Pii V. ibi: Si quis, quacunque autoritate, Ecclesiam, vel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecunque *ex resignatione*, vel *cessione* cujuscunque personæ *simpliciter*, aut *cum circuitu* retrocessionis, cum regressu, vel accessu, etiam *sola dimittentis intentione* receperit &c. *hæc confidentia censeatur*; & subditur, *in quovis horum casuum, confidentia pravitatis sit contracta, licet ipsum confidentia crimen alterius tantum partis conscientia sit admissum*; ergo intentio Resignantis, licet ex parte Resignatarii non sit acceptata, sufficit ad incurrendam simoniam confidentiæ.

Dices cum Lessio l. 2. de Just. c. 35. à 518 n. 95. Suarez tom. 1. de Relig. l. 4. c. 43. n. 12. Azor. p. 2. l. 7. c. 27. q. 6. Navarro c. 23. n. 100. (qui negant in dicto casu prohibitionem cadere supra talem resignationem) Simonia conventionalis (consequenter nec Simonia confidentiæ dictis constitutionibus prohibita) non committitur, ubi nec expressa, nec tacita conventio, seu pactio intercedit; at hoc in dato casu non contingit; verba autem Pii V. intelligenda veniunt solum de præsumptione, vi cujus, si proberur in foro externo, Resignantem habuisse talem intentionem obligandi Resignatarium, etiam hic in eodem foro præsumendum, tanquam reum Simonie confidentialis. R. dictam negantium opinionem, ut rectè observat Castropalaus cit. p. 18. n. 3. §. *In hac*, omninò esse probabilem; probabilius tamen negari majorem, de *Simoniam confidentialem*; quæ est *juris tantum Ecclesiastici*; cum contrarium expresse constet ex verbis Pii V. etsi omnino requiratur ad Simoniam *juris naturalis, & divini*, juxta dicta. Illa Porro expositio dictorum verborum; quòd solum intelligi debeant

debeant de crimine Resignatarii, quando in foro externo probaretur, Resignantem cessisse beneficium, *animo illum obligandi*, videtur non consonare verbis. Nam ibi non agitur de tali probatione, sed solum de crimine Simonia, & dicitur *in quovis eorum casuum Simonia pravitatem*, si contingat talis casus, esse contractam; & omnes hujusmodi casus in supradictis literis, esse comprehensos, ac si speciatim expressi essent, licet crimen confidentia unius tantum confidentia sit admittum; sed iste casus est unus ex illis; ergo in supra dictis literis prohibivis est comprehensus.

519 Quæstio est 2. an committat Simoniam confidentia, resignans alteri beneficium, *ut sibi exinde pensio solvatur?* R. probabilius affirmari cum Suarez l. 4. c. 43. n. 7. Garcia cit. c. 3. n. 194. Ratio est primo; nam resignatio beneficii, ut Resignatarius, seu provisus, fructus illius, vel partem eorum relinquat in utilitatem, vel libitum conferentis, vel resignantis, aut alterius, continet simoniam confidentia; pensio autem est pars fructuum. 2. Quia in Bulla Pii IV. damnatur tanquam confidentialiter simoniaca, resignatio cum onere solvendi pensionem, vel fructus resignandi. 3. Quia si beneficium cedatur Titio, ut recipiens alii, vel aliis solvat fructus, vel partem eorum, committitur simonia confidentia; sed Resignans est alius à recipiente; ergo si is Resignanti debet solvere fructus, vel partem eorum, committitur simonia confidentia.

520 Dices: Pius V. confirmans constitutionem Pii IV. & loquens de resignatione beneficii, dicit ad incurendam in hoc casu simoniam confidentia sufficere, si resignans sibi, vel alteri reseruet jus recuperandi beneficium; loquens autem de resignatione beneficii, dicit incurri simoniam confidentia, si alii, vel aliis ex eod. fructus, vel pars eorum solvatur; ergo non committitur hæc simonia confidentia, si fructus, vel pars eorum solvantur ipsi Resignanti. Nam aliter loquitur in 2. casu pensionis, ac in primo, ubi reservatio fit Resignanti; ergo sub ly alii, vel aliis non venit ipse Resignans. Sic Navarrus, Ugo- linus, Menoch. & alii apud Castropal. cit. p. 18. n. 5. R. illam locutionem, quam contrarii volunt, esse quandam mutationem quoad eos, quibus fit reservatio, non probare latentem, mutatio enim est in

hoc, quod in primo loquatur de casu, quo jus recuperandi beneficium, in 2. jus fructuum reservatur resignanti, vel alii, aut aliis, ut clarè patet ex ipso textu. Quare dato anteced. N. conseq.

§. 4.

An, & qualem simoniam contineat resignatio beneficii litigiosi, cum onere solvendi certam pecuniam colliganti?

Casus esse potest, si pro componenda lite, quæ circa beneficium versatur, v.g. inter Titium, & Cajum, Titius jus suum, quod habet, aut habere se credit, cedit Cajo, eo pacto, ut Cajo Titio solvat aliquam pensionem ex beneficio cesso. In hac quæstione committi simoniam, communis tenet, si fiat propria litigantium auctoritate ex c. Præerea. 9. de Transf. ubi expresse habetur, quod, sicut transactio super jure presentandi; ita super annuo, ut recedatur à lite, interveniente aliquâ temporalitate, simoniaca sit, & de jure non teneat. Item c. Præerea. 10. eod. quod transactio super spiritali subjectione, invicem ejus alteri, constituto censu annuo, iniquitatem simoniacam continere putetur. c. Cum pridem, de Pactis, ibi: Non valet pactum, quod beneficium Ecclesiasticum debeat pecuniâ resignari. Idem habetur c. 2. de Arbitris; c. fin. de rerum permut. Dixi si fiat propria litigantium auctoritate. Nam factus est si fiat auctoritate legitimi Superioris, ex c. 2. de Transact. Quis autem in hoc casu censetur legitimus Superior, ex dictis resolvi potest. Nam permutatio beneficiorum ab Episcopo approbati non potest, nisi beneficia illa pacifice possideantur, quod non contingit, ubi sunt litigiosa; excipe (juxta probabilem sententiam, quam tenet Castropalaus cit. d. 3. de Simonia p. 19. n. 3.) illum casum, quo Episcopus uni colligantium applicaret beneficium sub onere solvendi pensionem alteri colliganti. Talem enim compositionem litis fieri posse ab Episcopo, constat ex c. nisi, 2. 1. de præbend.

Dices 1. supra resolutum est, tanquam probabilius, non posse Episcopum pensionem in beneficio imponere. R. Id verum esse, nisi id fiat ex causa litis, & concordia, ex cit. c. Nisi, ubi dicitur: Si duo electi ad aliquam dignitatem compromittant in Judices, poterit Judex alterum confirmare,

& alteri pro bono pacis de proventibus provisionem facere. Verba canonis sunt: Quia igitur hæc ordinatio (de qua diximus) ab omnibus est recepta, possuntque licite Prior & Capitulum de proventibus suis propter causas prædictas non quidem ex pacto partium, sed ex iussione Judicum provisionem huiusmodi inhibere: Nos eam hoc adhibito moderamine toleramus, ut ad præstationem quadraginta librarum non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat ordinata, ne fortè circa proventus aliqua videatur facta sectio Prioratus, ita quod ipso Priore defuncto, successor ipsius ad præstationem quadraginta librarum minimè teneatur.

523 Probabilius autem est pensionem illam esse onus reale, & transire ad successores, & durare pro vita pensionarii, ex c. de Catero, de Transact. ubi dicitur pensionem impositam per juridicam transactionem sine auctoritate Episcopi, non excedere vitam solventis, ergo secus est, quando imposita Episcopi auctoritate. Et hoc supponi videtur in c. Audivimus. De Collusion. ubi pensio beneficiis imposita irrita decernitur, & possidentes eadem spoliatur pro fraude commissa in admittenda pensione; at ubi fit auctoritate Episcopi causâ litis, & concordia, non est fraus; ergo.

524 Dices 2. in c. Nisi de præbend. Pontifex non vult tolerare, ut pensio imposita ex causa pacis, & concordia, transeat ad successores, ne forte circa proventus videatur facta aliqua sectio Prioratus; & in c. Veniens de Transact. dicitur, transactio facta de Rebus Ecclesie sine Pontificis consensu, non obligare successorem. Sic Azor p. 1. l. 8. c. 6. q. 1. Garcia de benefic. p. 1. c. 4. n. 334. R. ad primum, ex c. Nisi, dictam pensionem ibi non fuisse impositam auctoritate Episcopi, sed arbitraria potestate Judicum aliorum, quibus non erat facultas imponendi pensionem beneficio transitoriam ad successores, ut constat ex textu paulò antè relato. Ad 2. ex c. Veniens R. ibi non agi de pensione imposita beneficio propter illius cessionem; sed de Transactione super obligatione decimandi, & perpetuò duraturâ remissione, quæ sine consensu Papæ fieri non potest.

525 Ex dictis coll. Si inter colligantes super beneficio, aliqua conventio præcessit de cedendo beneficio, & vicissim reddendâ temporali pensione alteri, non posse

hanc pensionem imponi beneficiario à Prælato inferiore Papâ, sic enim ortum duceret ex conventionione partium, dandi spirituale pro temporali, contra c. cum pridem, de Pactis. Ita Zerola in Praxi Episc. p. 1. V. Simonia. Hoc tamen limita, ut non procedat, si conventio illa præcedens, fiat in ordine ad consensum, & providentiam Episcopi, & de pensione Spirituali; ita Suarez. l. 4. de Simon. c. 51. à n. 20. Si autem quæras, an arbitri, à litigantibus constituti, possint litem decidere, uni adjudicando beneficium impositâ beneficiario pensione? R. negativè, loquendo de illorum facto absque consensu Ordinarii; hæc enim potestas, solum penes illum est in ejusmodi casu, ut dictum est: Onus tamen aliquod temporale possent imponere, juxta c. 2. de Arbitris, ubi dicitur, si arbitrum videris aqutate subnixum, ad observantiam illius utramq; partem compellas.

§. 5.

An citra Simoniam pecuniâ redimi possit vexatio in beneficio?

Sensus est, an citra Simoniam dari possit pecunia, vel aliud temporale alicui, ut desistat, vel intermittat alterum injustè vexare, vel traducere, aut impedire in beneficio? Quid in sacramentis, quoad ejusmodi tollendam vexationem, fieri possit, jam supra diximus à n. 405. * Prima nunc quæstio est, an id liceat in materia beneficiorum, quando jus jam acquisitum est in beneficio. R. Si quis injustè alterum vexaturus esset in jure beneficii jam acquisito, licitè pecuniâ redimi talem vexationem, seu, quod idem est, ut desistat, vel à cœpta, vel non incipiat ejusmodi injuriam. Sic enim non daretur pecunia pro acquirendo jure Spirituali, sed solum pro injuria vel non inferenda, vel revocanda. Colligitur ex c. dilectus, 1. de Simonia, & cum communi tenet. Suarez. l. 4. de Simonia c. 5. & concordat c. Quæsitum. 1. q. 3. Et quamvis in c. Matthaus, 23. de Simonia, dicatur, Simoniacus electus à majori parte Electorum, si dederit pecuniam alteri, nomine aliorum contradicenti, ut à contradictione cesset: Id tamen non erat ad redimendam vexam in jure jam quæsitam, ex electione; sed acquirendo ex electionis confirmatione, ut vult Suarez. cit. vel certè, quod dederit pecuniam impugnaturo electionem,

nem, vel titulo contemptus, vel alio. Cujus ratio est, quia *litam jussu intentatam* contra jus in, vel erga beneficium, non licet remove datâ pecuniâ; sic enim ageretur de jure Spirituali *acquirendo*, vel *firmando* per temporale; sic Glossa in c. *Cum pridem*, de pactis; & Abbas ibid. n. 9. sic enim finis esset per temporale jus spirituale acquirere; vel jam acquisitum, sed nec dum firmum, firmare, ac conservare; nam litis intentatio *si justa est*, pretio removeri non potest, nisi consideratione juris Spirituales, quod simoniacum est.

527 Quæstio est 2. an liceat dare pecuniam uni competitorum pro beneficio, ut desistat à præensione justa? R. quod non. Ratio est ex cit. c. *Matthæus*. ubi præsens casus habetur. Nam cum Matthæus Cardinalis secretâ Pontifici insinuatione monstravit, quod, cum fuisset ad Ecclesiæ regimen de voluntate majoris partis fratrum electus, paucis contradicentibus: quidam amicus electi de conscientia illius, & voluntate turbatâ, ei, qui Magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradicentibus conquievit: Nunc autem, quia dubitabat electus; quod non sit à labe Simonie prorsus immunis, donec in administratione voluerit remanere. Respondet illi Pontifex (*quia igitur consilium requisisti, quid tibi sit faciendum?*) Quod multum sibi consulat, si administrationem celeriter, ac sponte dimittat, illius verbi memor existens: *Nihil prodest homini, si universum mundum lucretur: Anima vero sua detrimentum patiatur.* Et ita tenet D. Thomas 2. 2. q. 100. a. 2. Barbosa, p. 3. de Potestate Episc. allegat. 60. n. 52. Nam illius pecuniæ datio tenderet ad *acquirendum*, vel *stabilendum*, nec dum stabile, jus spirituale in beneficio, per alterius renuntiationem.

528 Quæstio est 3. an Clericus, qui certam, ac indubitatam institutionem obtinuit in beneficio, licet det pecuniam ei, à quo aliâ in acquirenda possessione talis beneficii impediretur, & sic vexationem possit impedire? Negant plures apud Suarez cit. l. 4. c. 50. n. 31. Sed rectius affirmatur; Quia quamvis possessio beneficii, post legitime, ac indubitatè jus acquisitum, sit quidem illi Spirituali annexa; datio tamen pecuniæ tendit solum ad removendum impedimentum, & factum alterius obtinens certo illius juri, jam acquisito, quod est

quid merè temporale; nec tendit ad jus illud acquirendum, vel firmandum; sic Lessius, l. 2. de Just. c. 35. d. 18. n. 100.

Quæstio est 4. an, si post titulum ple. 529 nè acquisitum negarentur decimæ, citra Simoniam dari possit pecunia pro illis recuperandis? R. decimas sumptas, *secundum se* esse quid merè temporale; & sic licet in dato casu recuperari pecuniâ; non autem *titulum*, ratione cujus sunt spirituales. Nam in 1. pecunia sic daretur pro temporali; in secundo, pro spirituali. *Titulus* enim est officium spirituale, propter quod beneficio debetur jus decimarum, in debitam Ecclesiæ Ministris sustentationem.

Quæstio est 5. an, cum agitur de be. 530 neficio acquirendo, citra Simoniam dari possit pecunia iis, qui beneficium conferre debent (v.g. præsentando, instituendo, eligendo &c.) ne *injustè* te impediatur in ejus consecutione? Communis negat, ut videri potest apud Castropalaum p. 20. n. 4. sed probabilius affirmatur, si per illam pecuniam non intendatur aliud, *quàm iniquum eorum factum remove*. Et idem à fortiori dicendum venit, si pecuniâ redimatur iniqua vexatio eorum, qui ad electionem, præsentationem, vel collationem beneficii non concurrunt. Nam hæc redemptione solum remouentur impedimenta iniquè opposita; quod quisque jure naturali potest; cum quilibet habeat jus quæsitum ne sibi fiat injuria. Sic Castropalaus cit. à n. 4.

ARTICULUS IX.

De pœnis in Simoniacos statutis.

Not. sermonem esse posse de pœnis, vel à jure statutis, vel Judicis arbitrio infligendis; quo casu, certa de his potestemis regula statui non potest; cum tales esse debeant, quæ pro criminis gravitate, ac qualitate infligi debeant. Quædam tamen, per Judicem imponendæ, ipso jure decreta sunt. Nam 1. in c. *de hoc*, de Simon. & in c. *cum super* de confess. Simoniacus in beneficio, deponi debet ex officio, & beneficio, crimine in judicio ritè probato. Deinde quilibet Simoniacus ab Ecclesia DEI debet eliminari atque repelli c. *sicut*, de Simon; & c. *Erga Simoniacos* 10. q. 1. his præmissis:

S. i.

§. 1.

An pro qualibet Simonia veniat Reo imponenda pœna depositionis?

531 **R** Esp. negativè. Nam si delictum sit secretum, & occultum, Judex, etsi sciat crimen esse admissum, non debet Reum deponere, sed secretam pœnitentiam injungere, per c. *Ex tua*, 20. de Simonia, ibi: *Unde tibi sic duximus respondendum, ut si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem* (qui scilicet confessus fuerat, se præsentatori suo ad Ordines aliquid dedisse ex pacto) *secretò convenias, & invitum non deponas, sed secretam pœnitentiam injungas.* Si autem propter accusationem de tali crimine infamis sit, pendente accusatione à ministerio Altaris aceri debet. c. *Accusatum*, 4. & c. *Quoties*, 5. De Simon. ubi primum loquitur de infamia *ex accusatione*; alterum *ex inquisitione*. Pœno pœnam infamiam imponi posse, pro quacunque gravi Simonia, docet Gloss. in c. *Ex diligenti*, 17. de Simonia V. *Infamia*; & alii. Videtur tamen intelligendum duntaxat in casu, quo *per viam accusationis* proceditur; quia quamvis c. *Fin.* 1. q. 3. de Simoniacis dicatur, *notà infamiam percillantur*, & c. *sanè*, 15. q. 3. *perpetuò quoque infamia damnari decernimus*, expresse tamen hoc loquitur *de accusatione*.

§. 2.

An, & quæ pœna ipso jure imposita sint Simoniacis?

532 **R** Esp. nullam pœnam juris *ipso facto* incurri propter Simoniam *realem*, seu utrinque completam, illà exceptà, quæ committitur in *Ordine*, in *beneficiis*, ac *ex ingressu Religionis*; quia canones pœnales, in hac materia, decernentes pœnam ejusmodi simoniaco, extra illas materias, non utuntur his verbis: *Ipsò facto, vel ipso jure*. De illis autem tribus constabit ex dicendis. Si dicas: In Extravag. 2. *cum detestabile*, de Simonia, inter communes, dicitur: *Et contra quemlibet tam manifestam, quàm occultam, quos ipso facto eas incurrere volumus &c.* Ex quo aliqui volunt, quòd omnes juris pœnæ, quæ olim erant sententiæ ferendæ, nunc ipso facto incurran- tur. Verum illa verba non continent aliud, quàm pœnarum, *contra simoniacos publicos*

latarum, extensionem etiam *ad occultos*, sic, ut si quæ lata fuerant contra illos, qui eas ipso facto incurrerant, easdem & hi ipso facto incurrant. Sic Castropalaus cit. p. 21. n. 3. & alii. Similiter limitatur pœna ipso jure decreta in cit. Extravag. §. *Statuentes præterea*. Nam hæc constitutio solum loquitur de Simonia commissa in *Ordine*, & *beneficio*, ut pluribus ostendit Pirhing. h. t. n. 154.

Quæstio est, an pœnæ juris, decretæ 533 in Simoniacos, comprehendant etiam Simoniam, *solum jure Ecclesiastico prohibitam*? Ratio affirmandi est 1. quia jure Ecclesiastico simpliciter prohibentur pactiones onerosæ sine Superioris auctoritate in spiritualibus, ut constat ex c. *quæsitum* 5. & c. *cum olim* 7. de Rerum permut. Secundò, quia pœna depositionis infligitur ei, qui, pro obtinendo suffragio in electione ad Episcopatum, promissit beneficium; ut constat ex c. *de homine* 11. de Simon. & tamen hæc promissio continet Simoniam solo jure Ecclesiastico prohibitam. Tertiò quia in Extravag. supr. cit. sermo est de Simonia non tantum juris divini, sed etiam Ecclesiastici, ibi: *Cum detestabile scelus Simonia, tam divinorum, quàm sacrorum Canonum auctoritas damnet, quo posito confirmantur ibidem omnes pœnæ, prius à summis Pontificibus quomodolibet latae in simoniacos.* Certum autem est, ab illis latae esse pœnas in Simoniam etiam juris tantum Ecclesiastici, ut constat ex dictis. Nec obstat, quod Simonia juris Ecclesiastici, secundum aliquos, non sit propriè Simonia, pœnæ autem comprehendant actus solum proprie tales. Nam hoc verum est, quoties lex pœnalis non damnat actum *minus propriè talem*, iisdem verbis, quibus damnat actum *proprie talem*. Secundò, quando finis pœnæ non est curare utrumque, imò alterum, propter suam frequentiam, magis; Canones autem de utraque Simonia iisdem verbis loquuntur, ut constat; & Simonia juris Ecclesiastici præsertim in beneficiis valde frequens est.

Nihilominus responsio data limitanda 534 est, ut non procedat, quoties ex verbis ipsius legis colligitur, nomine *Simoniam*, quam ejusmodi lex *punit* non venire Simoniam juris tantum Ecclesiastici. Sic lex puniens Simoniam *in beneficiis*, non extenditur ad Simoniam *in pensionibus*. *Pensionibus* enim non veniunt nomine *beneficii*, propriè

proprie dicti. In hoc tamen puncto, sicut etiam in aliis circa Simoniam juris tantum humani, universim id apponendum duxi, quod circa literas dimissorias monet Gobat. in Theol. experiment. tr. 8. n. 590. non esse in Germania receptam sanctionem Trid. Sess. 21. de Reform. c. 1. ferentem anathemate, tam dantes, quam accipientes aliquid pro dimissoriis, vel sigillo &c. ubi ait: *Si alicubi mos iste invaluit, ut exigatur etiam aureus, in conscientia excusatos esse imprimis dantes, quia communiter nequeunt aliter impetrare; deinde etiam ipsos accipientes, si, ut fieri potest, & solet, nitantur vero jure, hoc est, si legitima consuetudine inductum, vel auctoritate, constitutum sit, aut iustitia naturali exigente fiat, scilicet pro sustentatione; ut si accipienti aliunde non responderet sufficiens stipendium pro sustentatione decente.*

§. 3.

An pena ipso jure Simoniacis decreta requirant Simoniam completam?

335 **A**nte resolut. not. Simoniam pure mentalem non puniri ab Ecclesia. Nam omnino occulta divino iudicio reservantur; Simonia autem conventionali ex neutra parte completa jure positivo nulla poena decreta est, incurrenda ipso facto. Canones enim poenales loquuntur de dantibus, & accipientibus. Suarez. lib. 4. c. 55. n. 10. & habetur in c. Ex omnibus fere capitibus. 1. q. 1. Idem etiam est, si solum sit completa ex parte dantis pretium; imò etiam si solum sit completa ex parte dantis spiritualia, ut notat Pirhing à n. 153. quia in materia poenali, termini strictè accipiendi sunt, pro venditione, completa opere ementis, & vendentis.

536 Aliqui tamen censent, sufficere, quòd conventio simoniaca completa sit ex parte dantis spiritualia v.g. beneficium sub sola promissione solvendi, esto nec dum soluti pretii; sic Garcia de benefic. p. 8. c. 1. n. 28. Cajetanus, Soto, Valentia, & alii: Quos cit. & sequitur Castropalauus p. 22. n. 5. licet contrarium sentiant ibid. n. 4. Zerola in praxi Episc. p. 1. V. Simonia §. 9. Covar. in regul. Peccatum. p. 2. §. 8. n. 7. & alii. Quo posito. Re. probabilius videri, ad poenas requiri, Simoniam conventionalem esse opere completam ex parte recipientis spirituale, & dantis temporale, Tom. V.

modò aliquid de hoc persolutum sit. Nam sic in re jam intervenit appretiation rei spiritualis cum temporali, in quo formaliter consistit vitium Simonia. ita Suarez l. 4. de Simonia c. 56. n. 17. dicens, *id omnes Doctores affirmare.* Licet autem negari non possit esse quoque probabile, quòd ad poenas sufficiat pactum simoniacum completum esse ex parte dantis beneficium sub promissione, non dum soluti, sed solvendi pretii; cujus ratio est n. 535. videri tamen probabilius, non sufficere; ratio sumitur ex jure satis aperto. Nam poenalis irritatio actus decreta est omnibus, quæ vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, data, vel promissa pecuniâ acquisita sunt, c. ea, qua, 1. q. 3. ubi Gregorius VII. aperte decernit, *quidquid taliter acquisitum est, irritum esse, & nullas unquam vires habere.* Ad rationes autem contra sententiam, quam dicimus probabilem, responderetur juxta dicta in n. 535. nimirum, intervenire quidem appretiationem aliquam, sed non strictè sumptam, quam exigit dispositio poenalis, & odiosa.

§. 4.

De poenis Simonia commissa in egressu & receptione ad Religionem.

DE his potissimum agitur in Extravag. 537 i. de Simonia, inter communes, ubi Urbanus IV. statuit in omnes omnino etiam exemptas personas regulares (quæ tam à maribus, quam fœminis, volentibus ingredi eorum Religionem, in earundem personarum receptione, aut ante, vel post illam, directe; vel indirecte aliquid petere, vel exigere quoquo modo præsumunt) sequentes poenas. 1. Excommunicationem ipso jure adversus singulares personas, tam dantes, quam exigentes, eamque reservatam Papæ. Si autem sit tota communitas (nempe Capitulum, vel Conventus) & in hanc Simoniam consenserit, statuit suspensionem ab officio Capitulari quoad administrationem, & jurisdictionem Ecclesiasticam; 2. statuit in simoniacè admissos, ut teneantur de Monasterio, in quod sic recepti sunt, exire, & in alio archiori remanere, nisi dispensentur ab Episcopo. Plura de his dicta sunt à n. 431.

Circa dictas poenas not. 1. eas non 538 procedere in casu, quo ingrediens Religionem aliquam, sponte, vel in sui sustentationem

P

tationem

tationem dat aliquid monasterio, ut expressè dicitur in Extravag. cit. 2. si Monasterium sit inops, & egenum, adeo, ut alias non sufficiat ad alendos inibi Religiosos, ut diximus à n. 435. 3. Si quid exigatur, & detur pro victu, & vestitu Novitii, dum est in probatione per n. 437. Not. 2. Pœnam, quòd *simoniacè admissus ad Religionem debeat in alio strictiori Monasterio vivere*, intelligi, postquam de Simonia *convictus, & condemnatus* est, nisi dispenset Episcopus. Nam non extat textus, illum clare prius condemnans ad eam pœnam ita Lessius l. 2. de Just. c. 35. d. 23. Suarez cit. c. 57. n. 8.

539 Not. 3. Jus ad sustentationem in Monasterio acquisitum ex professione facta simoniacè (hoc enim eam non invalidat ex n. 423.) *non esse propriè, sed lato solummodo beneficium Ecclesiasticum*. Hinc licet collatio beneficii facta Simoniaco, nulla sit ipso jure, etiam quoad jus ceteroquin ex collatione nascens; non tamen rectè infertur idem de jure nato ex professione simoniacè facta, quia jus ex collatione beneficii, est *propriè beneficium*; ex quo in pœnalibus non rectè fit extensio ad *beneficium impropiè, & solum latè*.

540 Not. 4. Sub illis pœnis non venire Religiosum exigentem à Monasterio aliquid pro suo ingressu; ita Suarez cit. l. 4. c. 56. n. 7. quia licet committat Simoniam; non tamen talem, de qua loquitur illa Extravagans Urbani IV: Not. 5. Simoniam, de qua in Extravag. cit. commissam in ingressu, & receptione ad Religionem, probabiliter non cadere, nisi in ingressum *consummatum, professione facta*. Nam lex pœnalis (nisi exprimat, quòd intendat punire actum etiam *inchoatum*) intelligitur, de actu *consummato*; ut diximus l. 1. tit. 2. de Leg. pœnal. V. dicta supr. n. 435. quibus accedit Castropalaus cit. p. 23. n. 3. censens pariter illam Extravag. (saltem quoad excommunicationem) non esse usu receptam.

S. 5.

De pœnis contra Simoniacè Ordinato, & Ordinantes.

541 **D**E Simonia quæ committitur in collatione & receptione Ordinum, egimus superius à n. 468. Quæstio nunc est primò, quæ pœnæ constitutæ sint contra

Simoniacè Ordinato? 1. primam esse *excommunicationem lata sententia, reservatam Papa*, ut habetur in Extravag. 2. §. *Nos enim*, h. t. inter commun. Notand. autem 1. hanc pœnam probabilius procedere solum de Simonia *reali*, ac utrinque completa, juxta n. 535. Not. 2. Huic pœnæ locum esse contra Simoniacè Ordinantem etiam duntaxat in minoribus; nam talis verè ordinat. Not. 3. Hanc pœnam juxta Pirhing hic n. 150. extendi etiam ad Simoniacè conferentes *primam tonsuram*; sed hoc rectius negat Lessius l. 2. de Just. c. 35. dub. 23. quia non est verus Ordo; & aliunde odia, & pœnæ restringendæ sunt.

Not. 4. Eandem pœnam, juxta Lay. 542 man. cit. apud Pirhing supr. extendi ad Notarios, & Ministros, qui pro testimonialibus, vel reverendis, seu dimissoriis, aut etiam formatis aliquid exigunt; Sed rectius negatur. Nam licet hi omnes peccent, & Simoniaci sint juxta Trid. sess. 21. de Refor. c. 1. seclusâ legitimâ consuetudine, de qua n. 534. non tamen incidunt in hanc excommunicationem, neque in aliam pœnam ipso facto; quia illa verba Tridentini, *dantes & accipientes* (ultra divinam ultionem) *pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant*, referri debent ad eos solum, qui Ordines Simoniacè *dant, & accipiunt*; aut eorum *Mediatores*, ut sunt Patroni, qui ad eos præsentant, amici, Procuratores, & omnes qui operam suam interponunt, ut Ordo Simoniacè conferatur, & accipiat, ut habetur in cit. Extravag. 2. §. *Statuentes*; ita Lessius cit. d. 24. n. 133. Suarez cit. l. 4. c. 56. n. 5. In eod. §. dictæ pœnæ extenduntur non tantum ad *manifestos*, sed etiam *occultos* Ordinum collatores, & receptores Simoniacos; non tamen ad Episcopum, si post Ordinem, *gratis* collatum, aliquid postea recipere.

Altera pœna Simoniacè Ordinanti à jure 543 re statuta est suspensio ipso jure, à collatione quorumcunque Ordinum, ac etiam primæ tonsuræ, & executione omnium munerum pontificalium; ita Sixtus V. in quadam Bulla contra male promotos, incip. *Sanctum, & Salutare*. Et quamvis hanc constitutionem Sixtinam Clemens VIII. An. 1595. revocaverit, & ad jus commune reduxerit; hoc tamen non procedit quoad pœnas Simoniacorum à Sixto statutas; cum Clemens expressè dicat, *se velle in suo robore*

bore persistere eas omnes, quæ sunt lata contra simoniacè Ordinantes, & Ordinatos.

544 Tertia poena in simoniacè Ordinantes jure statuta est *interdictum* ab ingressu Ecclesiæ, ut habetur in supra dicta Constitut. Sixti V. & quarta, *suspensio à Regimine*, ac administratione suæ Ecclesiæ, atque perceptione fructuum omnium suorum beneficiorum, si prædictas censuras, seu poenas interdicti, & suspensionis violet, de quibus videri potest Castropal. cit. de Simonia d. 3. p. 33. n. 2. Circa has poenas not. 1. poenas hæctenus relatæ esse lata sententiæ; sed iis non comprehendi Mediatōres, ac Præsentatores ad Simoniacam Ordinationem; nisi quoad excommunicationem; & quamvis quoad suspensionem per triennium, ab executione suorum Ordinum videatur idem dicendum juxta c. *fin.* de Simonia; limitatur tamen, ut non procedat, nisi re ipsa collato simoniacè Ordine; quamvis Lessius cit. dub. 24. n. 134. censet, hanc poenam, jure antiquo non esse latam in futurum, quoad Ordinantes, & Mediatōres; & id, quod in c. *fin.* cit. dicitur, esse *casum specialem*.

545 Quæstio est 2. quæ poenæ constitutæ sint contra simoniacè Ordinatos? &c. esse sequentes. Prima est excommunicatio, de qua diximus n. 541. cum comprehendat Simoniacè Ordinantes, & Ordinatos, ut constat ex 542. Secunda est suspensio ab executione suorum Ordinum, ut constat in cit. Extravag. Tertia inhabilitas ascendendi ad Ordinem altiorem. Difficultas autem est, an suspendantur, *vi hujus poenæ*, ab executione *omnium* suorum Ordinum, quos aliàs, etiam licetè, susceperunt; an tantum eorum, quos *Simoniacè susceperunt*? Primum tenet communis cum Suarez tom. 5. de censur. d. 3 r. S. 4. n. 33. quia locutio juris est in plurali, & de *Omnibus*. Sed omnino probabile est, intelligi duntaxat secundum; sic Castropalaus cit. p. 24. n. 3. Nam illa locutio pluralis respondet locutioni plurali præcedenti, quæ loquebatur de omnibus Simoniacè Ordinatīs, & de his ait, suspendi ab executione *omnium Ordinum suorum*, nimirum *Simoniacè susceptorum*. Ratio explicationis sumitur ex Bulla Pii V. contra malè Ordinatos, incip. *Cum primum*; ubi dicitur quicumque detestabile vitium Simoniacæ pravitatis convictus fuerit commississe in consequendis sacris Ordinibus; eo ipso ab illo-
Tom. V.

rum executione sine spe dispensationis suspensus sit per decennium &c. ubi nota, *ly ab illorum*.

Quæstio est 3. an huic poenæ locus 546 sit in Ordinato, quando ipse ignoravit *Ordinantem* Simoniacum esse in conferendo Ordine? Affirmativam sequitur Felinus in c. *Per tuas*, de Simonia n. 3. Sylvest. V. *suspensio* n. 7. Sed cum in dato casu, *vitiose operante solo Ordinate*, Ordinatus, citra culpam Simoniacæ Ordinationis ponatur ignarus, consequenter expers culpæ, probabilior est negativa. Ita Lessius cit. l. 2. c. 35. d. 24. n. 136. & alii.

Quæstio est 4. an à prædictis poenis, 547 & inhabilitatibus possit absolvere alius Papâ inferior? Videtur, quod non, cum illæ poenæ reserventur Papæ in Bulla Sixti V. vers. *absolutio*, ac revocentur simul facultates tum Religiosis alias, tum Episcopis concessæ in Trident. sess. 24. de Reformatione c. 6. Castropalaus tamen cit. puncto 24. n. 4. censet dictam Bullam *hac in parte* non esse usu receptam; & Lessius cit. d. 24. n. 134. in plerisque locis eam ignorari; quo ex principiis l. 1. tit. 2. traditis sequitur, in iis locis, ubi usu legitime recepta non est, aut ignoratur, non obligare.

§. 6.

De poenis contra Simoniacè dantes, & recipientes beneficia Ecclesiastica.

Quæstio procedit de beneficii *proprie* 548 dictis, qualia non sunt pensiones, Capellanæ, seu beneficia merè manualia, & ad nutum amovibilia, de quibus agitur l. 3. tit. de Præbendis, & dignitatibus. Nec in hoc attenditur *modus*, quo beneficium Ecclesiasticum *Simoniacè acquisitum est*, an Simoniacè collatione; præsentatione, & institutione; electione, & confirmatione; postulatione, & admissione, vel etiã translatione, sed tantum an reverã, in illa acquisitione beneficii, Simoniæ vitium intercesserit, cui jus Ecclesiasticum poenas statuit. De Simonia porro, quæ committitur in provisionibus beneficiorum, jam tractavimus à n. 473. Nunc de poenis Simoniæ hujus. Tres autem poenæ ipso jure statutæ in ejusmodi Simoniacos, reperiuntur. Prima poena est *excommunicatio* ipso facto incurrenda. 1. A Simoniacè conferente, vel procurante alteri beneficium, vel officium Ecclesiasticum

cum mediâ electione, præsentatione, postulacione, institutione, confirmatione, commendatione, admissione &c. 2. à recipiente beneficium, vel officium Ecclesiasticum tali actu Simoniaco adeptum, ut habetur in cit. Extravag. *Cum detestabile*, ac in motu proprio Pii V. incip. *Cum Primum* de quâ sup. n. 545. & est 5. in Bullario.

549 Altera pœna Simoniacæ provisionis in beneficiis est, ejus irritatio, & annullatio, ut constat ex cit. Extravag. Ex quo sequitur, quòd taliter provisus nullum jus per ejusmodi provisionem acquirat; adeoque nec fructus faciat suos. Et hoc procedit, esto alius, te sciente, ac non contradicente, Simoniam in tali provisione commiserit, per c. *Nobis fuit*, 27. de Simon. junct. gloss. ibi. *respondemus, quòd nisi constaret illos, qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium ejus, qui eligendus erat, id malitiosè fecisse, quamvis ipse provisionis conscius non fuerit; ejus tamen electio, tanquam Simoniaca à pravitate præsumpta, est penitus reprobanda.* & c. *sicut tuis* 33. eodem. Non autem si contradixisti, per cit. c. *sicut tuis*. aut alius id malitiosè fecit, in dispendium eligendi, ut dictum est ex c. *Nobis fuit*.

550 Tertia pœna Simoniæ in provisionib. beneficiorum commissæ, est inhabilitas perpetua ad alia beneficia obtinenda, quæ probabilibus ipso jure incurritur juxta constitutionem Pii V. cum dicat, *illis beneficiis per Simoniæ acquisitionem, sit ipso jure, privatus, & perpetuo inhabilis ad ea, & quacunq; alia beneficia Ecclesiastica obtinenda*; ita Suarez l. 4. c. 58. n. 11. quod tamen, quoad inhabilitatem ipso jure ad alia quacunq; beneficia obtinenda limitant Navarrus, Suarez & Lessius apud Castropal. cit. D. 3. p. 25. n. 7. volentes in eo puncto dictam constitutionem non esse receptam.

551 Quæres 1. An quis licitè retineat beneficium Simoniacæ provisione acquisitum, non acquirentis, sed alterius tertii vitiosâ procuracione? Non procedit quæstio, si alius in eo casu Simoniæ malitiosè in acquirentis dispendium commisit. Nam hæc Simonia non vitiat provisionem, si facta sit te ignorante, ac non contradicente (ex n. 549.) quia de malitioso illius facto nullam suspensionem habuisti. Unde, etiam superveniente notitiâ, quòd alter te ignorante in tuum dispendium, hoc egerit, non teneris beneficium resignare; quia

valide tibi collatum est, per cit. c. *Nobis fuit*, & c. *sicut tuis*, de Simonia.

Si autem petas, an, si amicus clam, 552 & ignorante te, simoniacè tibi beneficium procuravit, ubi factum hujus resciveris, obligeris & beneficium, & fructum ejus dimittere? *Re. quòd sic*, quia talis collatio est ipso jure nulla per n. 549. Nam in dato casu Simonia non intervenit per tertii malitiam in odium beneficiarii, propter quod ejusmodi Simonia negatur vis inducendi nullitatem provisionis. Et ideo etiam in illo casu Simoniæ commissæ ab amico beneficiarii fit locus inhabilitati, de qua n. 550.

Quæres 2. An valdè, ac licitè retineas beneficium acquisitum ex Simoniaca alterius procuracione, cui contradixisti? *Re.* etsi suppositâ tuâ contradicitione valida tunc fuerit provisio, ut constat ex c. *sicut tuis* 33. de Simonia cujus summam exhibet Rubrica dicens, *non impulari electio, confirmato, si eo prohibente pro ipsius confirmatione pecunia data fuerit*: Retentionem tamen non fore licitam, si prius, quam provisionem acceptares, scivisti factum alterius Simoniacum non in odium, sed favorem tuum. Nam beneficium simoniacè acceptum, etiam valdè, cognitâ provisione Simoniaca, non factâ in odium recipientis, inducit inhabilitatem, ad illud retinendum, ut habetur ex c. *penult.* de Elect. ubi dicitur, quòd, si alicujus electionem, propter Simoniæ, eo ignorante, ac ratum non habente, commissam contigerit reprobari, cum eo super prælatione, ad quam taliter fuerat electus, illa vice non possit Episcopus dispensare; quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per Simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio toleretur. Idem insinuat in c. *sicut tuis*. citato ibi. *quamvis autem secundum sacrorum canonum instituta etiam parvuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur &c.* Ita Suarez l. 4. c. 57. n. 28. Lessius lib. 2. c. 35. d. 25. n. 137.

Quæres 3. An Simonia, in beneficio commissa, ipso jure privet beneficiis prius obtentis? *Re.* quòd non; quia nullus extat textus statuens hanc pœnam ipso jure, 2. quia lex, quæ prohibet provisionem Simoniacæ beneficiorum, ac eam annullat, considerari potest vel relatè ad beneficium ex tali

ex tali provisione acquirendum; vel relate ad alia prius legitime acquisita; unde licet recte dicatur, quod comprehendat beneficium ex tali provisione acquirendum; sed tamen est, de prius legitime acquisitis. Nam, cum ea lex prohibens, & annullans, *pœnalis sit*, rectius strictè sumitur, & exponitur solum *de futuris*, & post condemnationem. Ita Suarez l. 4. c. 58. n. 6.

555 Dices in c. *Inquisitionis*, de accusationibus, dicitur, quod simoniacè *obtinens beneficium, impeditur sit ab illius retentione, etiam post peractam penitentiam*. R. quod, licet Barbosa in cit. c. n. 5. doceat, in nullo occulto crimine, præterquam in homicidio, executionem impediri, etiam post peractam penitentiam; rectè tamen textus exponatur *de retentione beneficii*, post sententiam *condemnatoriam*. Tunc enim executionem habere poterit, etiam quoad retentionem. Ex hoc colliges: Fructus, ante Simoniam perceptos ex beneficiis, non esse ipso jure restituendos; quamvis commissà deinde Simonia per sententiam illis privari possit Reus. Ratio primè est, quia, qui habet jure beneficium, etiam habet jure fructus; sed ante commissam Simoniam ponitur habere beneficium jure: Ergo. Ratio secundi est, quia tali Reo imponi potest pœna pecuniaria pro delicto. Colliges 2. per Simoniam confirmationem non irritari ipso jure electionem prius legitime factam, licet per electionem Simoniam ipso jure irrita sit confirmatio, & omnes actus subsequentes. Nam valor confirmationis, & actuum subsequentium supponit valorem electionis; illa enim ante hanc subsistere non potest, electio autem non supponit confirmationem.

§. 7.

De pœnis Simoniam confidentialis.

556 DE hac Simonia egimus à n. 512. Olim Simoniam confidentialem, nullà pœnà punitam, imò potius à Principibus Ecclesiasticis in omni genere personarum toleratam esse, notat Pyrrhus Corradus in praxi dispens. Apost. l. 5. c. 8. n. 2. Quia tamen periculosior; & cum plerumque occultè fiat, frequentior est, varias, & severiores pœnas statuerunt summi Pontifices. Pius IV. & V. ille in Bulla incip. *ad Romanum Pontificem*; iste in constit. *Intolerabilis*; de illis in præsens qua-

stio est. Prima, est excommunicatio lata sententiæ, reservata Papæ, & afficiens tam dantes, quàm accipientes 2. interdictum contra Episcopos, & Collatores 3. nullitas Resignationis, & Collationis. 4. Inhabilitas ad idem; & alia beneficia obrinenda. 5. Sedi Apostolicæ reservatio beneficii, in quo Simonia confidentiæ est commissà 6. fructuum malè perceptorum applicatio Camera Apostolicæ. 7. Privatio omnium beneficiorum, & pensionum prius obtentorum cum inhabilitate ad alia.

Circa dictas pœnas not. 1. eas incurri ipso facto excepta privatione beneficiorum, prius legitime obtentorum (quæ requirit sententiam saltem declaratoriam criminis) ac inhabilitate ad reliqua omnia beneficia. Nam & hæc, ut notat Lessius cit. l. 2. c. 35. d. 26. n. 147. ex usu jam recepto prærequirit criminis declarationem. Not. 2. has pœnas esse statutas in Simoniam confidentiæ, licet nec dum utrinque completam, atque adeo licet beneficium in confidentiam datum, ab eo, cui sic datum est, non sit renuntiatum ingresso, accessuro, vel regressuro, modo datum sit eà conditione, ut dimittenti, vel alteri resignetur, ac eà intentione recipiatur. Sic enim decretum esse in cit. Constitut. Pii IV. & V. tradit Suarez, & Lessius cit. de aliis Mediatoribus, & intervenientibus nihil in his Bullis constitutum est. Unde in hos cadunt solæ pœnæ Extravag. 2. de Simonia, de qua locuti sumus supra, quæ probabiliter requirunt Simoniam realem. Not. 3. quod dictæ constitutiones, in quantum sunt pœnales, accipiendæ sint de Simonia confidentiæ commissà *in solis beneficiis Ecclesiasticis*. Quare hæc Simonia, licet procedat in illis cujuscunque Ordinis sint, sive simplicia, sive curata, majora, vel minora, secularia, vel regularia (ut notat Layman. l. 4. n. 10. c. ult. §. 8. n. 74. & alii) locum tamen non habet in pensionibus, & aliis actibus spiritualibus, licet illicita quædam fiducia, seu pactum interveniat. Plura videri possunt supra in dictis à n. 512.

ARTICULUS X.

An, & qualiter acquisita per Simoniam restituenda sint?

PRædictis pœnis annumeratur restitutio pretii simoniacè, seu pro re spirituali accepti

accepti, quia sine causa, seu titulo habili ad transferendum dominium, est penes eum, qui recepit utpote acceptum *pro re inestimabili*. Et quamvis aliàs de jure civili, in contractu turpi, (quando tam dans, quàm accipiens, turpiter egit, melior dicatur conditio possidentis, L. 2. c. de condict. ob turpem causam) in contractu tamen Simoniaco per sententiam Judicis imperari potest, ut pretium (quod de jure naturali sufficeret, restitui danti, à quo injustè, & sine titulo acceptum est) Ecclesiae, vel pauperibus, vel aliis locis piis restituatur per. c. *Audivimus*, 41. h. t. ibi: *quòd, si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda*. His positis:

559 **Questio 1.** est, an spirituale, Simoniacè acceptum, debeat restitui? Ante resolut. notandum, quæ Simoniacè accipiuntur, alia esse merè temporalia, alia spiritualia. De his censet Castropalaus. p. 3. tr. 17. D. 3. p. 26. n. 1. nullum spirituale, nisi beneficium, Simoniacè acceptum, restitutioni obnoxium esse, vel jure divino, vel jure Ecclesiastico. Quod de jure naturali, & divino verum judico, si non intervenit injustitia. Nam obligatio *restitutionis propriè dictæ* fundatur unice in eo, quòd quis, vel accipiendo, vel retinendo rem aliquam, lædat jus strictum alterius; certum autem est, quòd quis aliunde capax (extra materiam *beneficii Ecclesiastici*) non lædat jus strictum alterius recipiendo Simoniacè, v. g. confirmationem, electionem, absolutionem aut alia spiritualia, valide à dante conferibilia; Simonia enim non opponitur justitiæ strictæ, sed Religioni. Ex hoc infert Castropalaus, eum, qui, pecunià datà recipit sacramenta; consecrationem altaris, vel admissionem ad statum religiosum per professionem Simoniacam, nihil de recepto Spirituali teneri restituere; quia in his, dando pecuniam pro illorum acquisitione, non peccatur contra *justitiam*, sed tantùm *Religionem* indebitè tractando res Ecclesiasticas. Et hoc verum judico etiam de jure Ecclesiastico; cum ejusmodi spiritualia reverà nec reddi possint, uti semel validè recepta sunt; nec extet ullus textus, præcipiens altare, vel Ecclesiam Simoniacè consecratam, esse execrandam. Infert 2. eum qui pecunià *Simoniacè*, sed non *injustè* comparavit reli-

quias Sanctorum, grana benedicta, jus Patronatûs, jus eligendi Confessarium, *ex justitia* non teneri ea dimistere, quia nec in horum comparatione, vel acquisitione peccatum est contra *justitiam*, sed Religionem.

Verùm in hoc casu videtur dicendum 560 redditionem accepti esse debitam alio titulo, qui forte resolvi possit in illum. Etsi enim directè non peccaverit contra justitiam Simoniacè acquirendo; consequenter directè non contraxerit obligationem *restituendi*; quia tamen sine causa, & titulo habet; & nec dominium, vel jus illius rei (secundum quod explicat spiritualitatem, cujus intuitu ea acquisitio Simoniaca est) acquirere potuit, *retinere non suum*, quod consequenter est contra justitiam. Accedit, quod Simoniacè vendens, & emens jus Patronatûs, illud in penam amittere, eoque privari debeat per c. *Quis Clerici*, 6. de jure Patronatûs; & Ecclesia, vel beneficium fiat liberæ collationis, sic Jo. Andreas ibid. n. 5. & Barbof. n. 5. Pirhing autem de jure Patronatûs n. 185. docet, quòd sicut ante sententiam Judicis, pretium Simoniacè acceptum non est sub obligatione *restitutionis*; ita nec spirituale (v. g. *jus Patronatûs*) quod Simoniacè, sed non injustè acceptum est. Rationem dat, quia nec jure divino venditio, & acquisitio est irrita, nec etiam extat ullum jus Ecclesiasticum, quo ea decernatur invalida, licet prohibeatur *modus* acquirendi, tanquam Simoniacus; & cum hic nulla interveniat injustitia, sed solùm turpitudine, nulla etiam potest oriri obligatio *restituendi*; sic ille.

Circa istam doctrinam not. 1. verum esse, 561 nullam esse obligationem *restituendi* propriè loquendo, ubi nulla intercedit injustitia, vel in acceptione rei, vel in ejus retentione, vi cujus alter minus habeat in jure suo, quàm ejus jus exigat; & ille plus, quàm vi juris sui ei comperat, ut fusè ostendimus in tract. Theolog. de jure, & justitia. Not. 2. concedi etiam, quando spirituale sive transiens, sive permanens (extra materiam beneficiorum) Simoniacè, sed non injustè, acquisitum est, nullam jure divino, aut naturali esse obligationem *restituendi*. Nam in dato casu ponitur, non intervenisse injustitia, seu injusta læsio alieni juris; unde nasci non potuit obligatio restituendi propriè dicta.

Not. 3.

562 Not. 3. Quando spirituale, (quod est res permanens) Simoniacè, sed non iniuste acquisitum est (v. g. *jus Patronatus*) videri, non admittendum, quod docet Pirhing supr. relatus; nam, etsi verum sit, cum *jus Patronatus* Simoniacè emitur, & venditur, ab emente vendenti nullam directè injuriam fieri, consequenter, *ex hoc capite* non nasci jure naturali, vel divino in emente obligationem restituendi jus emptum: Quia tamen (ut ipse Pirhing de jure Patronatus, n. 71. ex glossa in c. *de jure*, 16. de jure Patron. V. *irritum*, docet) Simoniaca venditio, & emptio juris Patronatus ipso jure irrita est, rationi, quam assert non potest esse locus.

563 Concedo tamen, alias res permanentes (ut vestes sacras, calices, Sanctorum reliquias &c.) quando earum emptio, & venditio, quantumvis Simoniaca, valida est, & non iniusta, retineri posse, dum contra non facientem injuriam sequatur sententia declaratoria criminis, & impositio eas dimittendi, ut constabit ex n. seqq. Dixi *res alias*. Nam, ut constat ex n. 560. *jus Patronatus* dispositione juris Ecclesiastici, emptori per Judicem auferendum est in poenam delicti.

564 Not. 4. Notabile discrimen esse inter ementem, & vendentem Simoniacè. *Emens* enim, dato pretio pro re spirituali, venditori nullam facit injuriam dando pretium conventum, & recipiendo spirituale: Quia tamen *vendens* exigit, ac recipit pretium temporale, pro spirituali, ex suppositione, quòd dare voluerit, *ex obligatione dandum gratis*, injuriam infert ementi. Et hinc est, quòd venditor jure naturali, & divino debeat pretium receptum dimittere. Huic tamen satisficeret reddendo emptori, si lege Ecclesiasticà specialiter constitutum non esset in poenam etiam emptori Simoniaco, ut ipse, & pretium, & *jus Patronatus* amittat, de quo l. 3. tit. 38.

565 Not. 5. In spiritualibus, *annexivè tabilibus*, & permanentibus, ubi communiter adjunctum est aliquid temporale, antecedenter, consequenter, vel concomitanter, ut dictum est, attendendum esse, quid in eo sit *principale*? Nam Layman apud Pirhing de Simonia n. 186. rectè docet, si spirituale in illis est principale (ut in *reliquiis Sanctorum*) venditionem simoniacam, ratione spiritualitatis, invalidam esse. Nequit enim esse venditio rei invendibilis; Si

autem spirituale solùm sit accessorium, & res temporalis, *principale* (ut sunt *calices, vestes sacre*) venditionem tenere; & talem rem emptam ab emptore quantumvis Simoniaco, licitè retineri, dum restituito pretio per venditorem, rem emptam dimittere cogatur.

Quæstio est 2. An beneficium simoniacè acceptum restitutioni sit obnoxium? *æ.* si loquamur de *restitutione* propriè dictà, beneficium Ecclesiasticum simoniacè, sed non iniuste ab emente acquisitum, non esse obnoxium restitutioni jure naturali, aut divino juxta n. 559. quia tamen, ubi Simonia realis intervenit, nullum jus recipienti acquisitum est, ipsius beneficii, & fructuum retentio illicita erit, & obligatio non tantùm dimittendi beneficium, sed etiam fructus inde perceptos, juxta doctrinam in superioribus §. §. traditam, & dicitur in Extrav. *Cum desestabile*, de Simonia.

Quæstio est 3. An obligatio dimittendi beneficium cum reali Simonia receptum, & fructus nulliter perceptos restituendi, sit juris divini? Pirhing h. t. n. 185. in fine censet, esse quidem obligationem dimittendi beneficium, & restituendi fructus, etiam ante sententiam judicis, sed ex jure tantùm Ecclesiastico; quia beneficii Simoniaca collatio est ipso jure irrita. Circa hanc doctrinam Not. 1. collationem & receptionem Simoniacam beneficii Ecclesiastici esse jure naturali, & divino nullam, quando ea Simonia est juris naturalis, & divini; tunc enim interveniret venditio rei nullo jure vendibilis; secus est, si annulletur jure solùm Ecclesiastico. Not. 2. Probabilius esse, etiam ante sententiam Judicis *condemnatoriam* jure naturali esse restituendos fructus perceptos ex beneficio nulliter acquisito: Nam retinere, quòd nullo justo titulo penes me est, jure naturali, & divino illicitum est; intellige, si sic scienter retineantur. Not. 3. Restituito pretio simoniacè dato, spirituale permanens (quòd restitui, vel dimitti potest) vicissim esse restituendum, seu contractum rescindendum, & spirituale dimittendum; alias reddens pretium cogeretur contractu rescisso damnum pati compensationis sibi debita, sic Lessius l. 2. c. 35. d. 30. n. 168.

Quæstio est 4. An, & qualiter pretium simoniacè acceptum sit obnoxium restitutioni? In hac quæstione dubitatur 1. an,

an, qui simoniace accepit pretium pro dando spirituali, aliquo v.g. beneficio, vel alio quocunque, teneatur illud reddere, etiamsi ipse non dum dederit spirituale? Affirmativa communis est. Cum enim illa acceptio sit illicita, *utpote simoniaca, & cum injuria dantis pretium*, ut diximus n. 564. Spectato jure naturali reddendum danti, cum ipse læsus sit, ut ostendimus loco cit. Neque quoad hunc casum extat ullum jus, cujus dispositione privandus esset dans, pretio dato, sic, ut alteri, & non eamenti, seu ei, qui pretium solvit, reddendum foret; nisi forsan in casu empti simoniacè juris patronatus, quoad primam partem, de quo lib. 3. vel Ecclesiæ læsæ per tale crimen, ut mox dicemus; ita Suarez l. 4. c. 59. n. 2. Lessius l. 2. c. 35. d. 31. n. 170. Censet tamen Covar. ad reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 7. illud non posse repeti à dante propter turpitudinem admiffam.

569 Dubitatur 2. An, si quis simoniacè alicui dedit beneficium, vel aliud præsentavit, elegit, confirmavit &c. accepto pretio, teneatur illud restituere ante Judicis sententiam? R. affirmativam quoad primam partem, esse decisam jure Ecclesiastico in c. *De hac*, 11. de Simonia, ibi: *Regem autem, & principes ejus debes inducere, ut si qua receperint à prefato Episcopo, ut ejus electioni præstarent assensum, Ecclesia Exoniensi sine diminutione restituant; cum ea sine gravi sua salutis periculo rescindere non possint. Dixi, quoad primam partem.* Nam ex textu hujus Canonis non deducitur, præcipi restitutionem ante Judicis sententiam, saltem *declaratoriam criminis*. V. dicenda à n. 574.

570 Quæstio est 5. An pretium simoniacè acceptum, extra *materiam beneficiorum*, v.g. propter admissionem ad Religionem &c. sit restituendum? Respondet Castropalaus cit. p. 26. n. 6. pretium receptum pro qualibet alia Simonia (nimirum extra materiam beneficiorum) jure Ecclesiastico non esse restituendum ante Judicis sententiam. Nam in Extravag. *sanè*, de Simon. pretium pro ingressu Religionis acceptum simoniacè, permittitur retineri, modò non in privatum usum Abbatis, vel Abbatissæ; sed communem totius Conventus convertatur.

571 Dices 1. simoniacè recipiens pretium, pro admissione ad Religionem v.g. danti

pretium facit injuriam, & talis receptio continet injustitiam; hæc autem jure naturæ petit restitutionem; ergo non est expectanda Judicis sententia. Ma. patet ex n. 564. Min. etiam constat. Nam fur rem furtivam, non expectatâ judicis sententiâ, tenetur restituere. R. esse verum, nisi jus positivum aliud statuat in pœnam turpitudinis commissæ, etiam à dante simoniacè pretium.

Dices 2. in c. *Veniens*, 19. de Simon. 572 compellitur Abbas restituere pretium simoniacè acceptum pro simoniaca receptione ad Monasterium. R. cum distinctione, compellitur pretium restituere, *quando receptus cogitur, eo monasterio deserto, transire ad aliud*. C. sic enim justum est, ut datam pecuniam secum deferat in alimenta, idque non in gratiam ejus, sed Monasterii, ad quod transfertur: *Si non cogitur, eo monasterio deserto, transire ad aliud*. N. in cit. c. id mandari. Nam simoniacè professus (cum talis professio nihilominus valeat ex n. 423.) non tenetur suum Monasterium deserere, & ad aliud transire *ante judicis sententiam*, ut docet Suarez cit. l. 4. c. 60. n. 11. ergo nec Abbas receptum simoniacè pretium restituere. Sic Barbosa in cit. c. *Veniens*, n. 4. in fine.

Dices 3. in c. *Audivimus*, 41. de Si- 573 monia dicitur, quòd Episcopi nihil exigere debeant, ut permittant in Ecclesiis sibi subjectis Clericos institui, Monachos profiteri, vel mortuos sepeliri, *alioquin exacta in duplum esse restituenda in utilitatem locorum (in quorum fuerint soluta dispendium) convertenda*. R. totum hoc verum esse; si ad hoc compellatur accipiens per sententiam, saltem declaratoriam criminis; sed non ante, saltem in foro externo.

Quæstio est 4. cui pretium simoniacè 574 acceptum, sit restituendum? De hoc aliquid insinuavimus n. 568. nempe *spectato jure naturali*, restituendum esse illi, à quo acceptum est; in pœnam tamen simoniacè dantis, dispositione juris Ecclesiastico dandum Ecclesiæ, in qua est beneficium, circa quod Simonia intercessit, ut expresse definitum est in c. *de hoc*, 11. h. t. ibi: *Regem, & principes ejus debes inducere, ut, si qua receperint à prefato Episcopo, ut ejus electioni præberent assensum, Ecclesia Exoniensi sine diminutione restituant.* Dubitatur tamen 1. an hic nomine *Ecclesia*, intelligi etiam possint *pauperes*? Si id fiat cum consensu

sensu Superioris, affirmativam tenet D. Thomas, & alii apud Castropalaum cit. n. 5. & posse fieri pauperibus, de consuetudine recepta, tenent multi relati, à Covarr. in regul. Peccatum, p. 2. §. 3. n. 6. quod etiam ait D. Thomas 2. 2. q. 32. art. 7. dicens: *Pretium simoniacum non esse restituendum danti, sed in elemosynam erogandum.*

575 Dubitatur 2. *An pretium simoniacum restitui possit danti, ante sententiam iudicis, imponentis, in penam dantis, privationem ejus, ac applicationem Ecclesie, vel pauperibus?* Affirmativam probabilem censet Castropalaus cit. n. 5. & apud eum Lessius dub. 31. n. 171. Sorus, Valentia, & alii. Nam ejus dominium, ante poenalem Judicis sententiam, manet penes dantem; cum ejus datio simoniaca in beneficiis sit ipso jure irrita, consequenter non fecerit ejus translationem in recipientem; & quamvis c. *De hoc*, dicat; *dandum Ecclesie*, intelligitur tamen *post sententiam* condemnatoriam; nec extat ullus textus ipso jure privans dantem pretium, hujus dominio.

ARTICULUS XI.

Quae Simonia probatio requiratur, ut quis condemnetur ad penam infligendam?

576 Resp. 1. Crimen illud optimè probari *notorietate facti*, c. *de manifesta*, & duobus seq. 2. q. 1. ubi Stephanus Papa V. Leoni Episcopo Theonensi rescribit, *de manifesta, & nota pluribus causa non esse quarendos testes.* Et ideo S. Augustinus Serm. 16. De Verbis Domini, relatus, in c. *si peccaverit*, 2. q. 1. rectè ait, *peccatum, quod tantum iudici notum est, ab eo condemnari non posse.*

577 Resp. 2. Rectè etiam probari *evidentia facti*; ut cum quis in crimine deprehenditur, ut dicitur in c. *si quis Diaconus*, 29. dist. 50. ibi: *Si quis Diaconus post acceptam benedictionem Leviticam cum Uxore sua incontinens invenitur, ab officio suo deiciatur.* Et c. *si quis Clericus* 10. dist. 81. ibi: *Si quis Clericus adulterasse, aut confessus fuerit, aut convictus, depositus ab Officio, communionem concessa, in Monasterium toto vita sua tempore detrudatur.*

578 Resp. 3. Rectè probari *confessione propria ipsius Rei*, ut constat ex c. *si quis Clericus*, in preced. num. & c. *Presbyter*. 15. q. 5. Tom. V.

ibi; *Nisi sua sponte scelus ipse confiteatur; & c. de hoc*, de Simon. ibi: *Nec tamen inde convicti, vel confessi fuerint*; ubi notat Parisius l. 14. de Resignat. q. 8. & 9. cum seq. resolutionem procedere etiam *de confessione facta in judicio criminali.*

Resp. 4. Rectè probari per instru- 579 mentum, in quo adest promissio, vel pactum de dando temporali pro spirituali, vel è contra, de quo V. dicta l. 2. rit. 22. de fide instrumentorum. Volunt aliqui etiam sufficere famam; sed de hoc V. dicta à n. 65. Idem dicendum videtur de corresponsivitate, hoc est, quando unus actus fit per alium; ut si quis mihi renuntiet beneficium suum; & ego in continenti, hoc est, eodem die, coram eodem Notario, & testibus, consentio in pensionem, vel aliam renuntiationem in ejus favorem, ut videtur colligi ex c. *Emendari* (quod est 104.) 1. q. 1.

Dices in cit. c. de hoc expresse dicitur, 580 eos, qui pro suffragio in electione dando acceperunt beneficii promissionem ab eo, qui eligi cupiebat, esse perpetuò deponendos, si in jure confessi, vel legitime convicti fuerint; non tamen, *licet manifestum sit, si nec confessi, nec convicti fuerint*; ergò non sufficit quælibet probatio ex prædictis & ibi *manifestum* accipi pro *famoso*, seu noto ex mala fama; quæ utique ad depositionem, seu condemnationem criminalem, ut Reus deponatur, non sufficit, ex n. 108. secus si sumatur *pro notorio*, etiam probata notorietate.

Si autem quæras, an conjecturis, & 581 præsumptionibus sufficienter probetur crimen Simonie? De hoc in genere locuti sumus à n. 147. Certum autem est Simonie vitium inter graviora numerari; cum comparetur *homicidio, hæresi, ac idololatria*. Et quamvis in his probatio rectè fiat per indicia, conjecturas, & præsumptiones; non sufficiunt tamen *qualibet indicia, & conjectura*, sed requiruntur *evidentes*, & Reum de crimine *convincentes* juxta glossam in c. *Insinuatum*, de Simonia; ac *plene probata*, ut docent omnes teste Alexand. de Nevo consil. 64. n. 2. Jul. Claro §. *Simonia*, in fine; & §. ult. q. 20. Parisio cit. q. 8. à n. 14.

Si quæras 2. qui accusate, & accusari 582 possint super crimine Simonie? R. quòd in hoc crimine *quilibet Catholicus* sit legitimus accusator; per c. *si Dominus*. 3. hoc cit.

tit. ubi Theodatus Papa, ait, *quemlibet Catholicum (ut veritatem asserat) ad propalandum Simoniacam labem, magnis esse precibus exhortandum.* Hinc vi hujus textus admittuntur Catholici, *etiam criminosi*, si nimirum *ex bono Zelo procedant, & non ex odio*, ut dicemus n. 584. & seqq. & constat ex n. præced. imò etiam *servi contra Dominos suos, & omnis peccator, etiam excommunicatus toleratus* per c. *Tanta* eod.

583 *Accusari* autem super hoc crimine possunt, non modò dans temporale pro spirituali, sed etiam è contra, per c. *Non satis*, 8. §. *Unde quisquis*, h. t. ibi: *Tam ille, qui acceperit, quam ille qui dederit, & c.* 30. eod. ibi: *Tam in dantis, quam in accipientis* c. 28. ibi: *Tam ementes, quam vendentes*; quod etiam procedit, si te sciente, & non contradicente alius Simoniam commisit *in tuum commodum*, per c. *Mattheus* 23. & c. *sicut* 33. eod. ibi: *Nisi postea confeseris*: Sectis, si te ignorante, vel invito; per c. *Nobis* eod. ut jam aliàs dictum est.

584 Si quæras 3. an socius in vitio Simonia possit esse testis in judicio de hoc vitio? R. contra testes, qui deponunt de crimine Simonia, nullam admitti exceptionem in judicio inquisitionis, nisi capitalis inimicitia, & conspirationis. Constat. 1. ex n. 24. Deinde specialiter ex cit. c. *Licet Heli* 31. h. t. ibi: *Papa, pensatâ æquitate, ne innocens succumberet, vel pravitas Simonia effugeret, illas tantum exceptiones probandas admisit* (conspirationem nempe, & inimicitias capitales) & *alias* (nempe adulterii, & furti) *reprobandas*. Hæc tamen responsio in multis limitatur per constitutionem posteriorem in c. *Per tuas*, 32. h. t. Ubi præscribitur, circa testes in crimine Simonia, considerandas esse multas circumstantias. 1. *Quoad modum*, an contra Reum agatur civiliter, vel criminaliter? Secundo *circa personam*, an accusatus sit *regularis* an *secularis*? *Et si Regularis*, an *Abbas*, vel *inferioris conditionis*; seu eo inferior? Qui facilius amovetur, an *dignitatis excellentioris*? (ut Episcopus Regularis) contra quem cautius procedendum propter scandalum. Tertio, an ille idem sit *bona fama*? an *graviter infamatus*, & *suspectus*? & si hoc? an *sine*, vel *non nisi cum scandalum possit puniri*?

585 Similiter mandat, *attendi circumstantias personarum testificantium*, an sint per-

sonæ *honestæ*? an *criminosæ*, & vel à crimine *emendatæ*, vel in eodem *perseverantes*, & an, si testes sint criminosi, nec adhuc emendati, deposituri essent ex charitate, & *Zelo justitiæ*, vel *ex malignitate, & odio*? Tertio debere attendi *ad crimina*, quæ testibus obijciuntur; an sint eadem cum his, de quibus contra alterum deponunt? an illis majora, vel minora? an eorum testimonia fulciantur aliis adminiculis? an secus? Quarto, debere attendi, an in judicio, ubi producantur testes contra Simoniacum, agatur *civiliter*, an *criminaliter*, non enim in utroque iidem sunt testes idonei, ut monuimus supra; & quidem si civiliter agatur, utrum secundum juris rigorem, an secundum æquitatem? his propositis, quæ Judices attendere debent:

Respondet Pontifex, in casu, quo 586 in judicio criminali producantur testes contra Reum Simonia, *admitti posse criminosos* concurrentibus his circumstantiis. 1. Si sint emendati. 2. Si illis minoræ crimina obijciuntur per exceptionem. 3. Si deponant ex Zelo justitiæ. 4. Si eorum testimonia juventur, fulcianturve aliis adminiculis. 5. Si Reus sit Regularis inferioris gradus Episcopali, qui sine scandalo possit amoveri, qualis fuit Abbas, de quo agitur in cit. c. *Per tuas*. 6. Si nulla illos infamia comitetur: Si autem non agitur contra illos *criminaliter*, sed tantum *civiliter*, non requiri omnes circumstantias in dato casu; de quo V. Hostiensis, Abbas, & alii in cit. c. *Per tuas* 32. h. t.

Not. autem 1. Non agi contra alium 587 quem (v.g. Prælatum) eo ipso *criminaliter*, quòd agatur, ut ab administratione *removeatur*, quia perniciosus est Ecclesiæ: Cum non agatur ad ejus poenam; sed ad averendum Ecclesiæ detrimentum; aliud est, si *ad depositionem, in poenam*. Not. 2. Et si aliàs in criminibus exceptis, ubi *criminaliter* agitur etiam contra Regularem, sive sit bonæ, sive malæ famæ, admittantur testes etiam criminosi, ac infames, id tamen jure canonico non procedere, quando *criminaliter* agitur, *de crimine Simonia*, nisi Simonia sit simul hæretica; sic Doctores communiter, & cum illis Abbas, in c. *licet Heli*; & c. *per tuas*. Not. 3. A sententia, in *crimine Simonia*, non dari appellationem, c. *sicut*. 6. h. t. Sic Felinus ibid. à n. 1. Nam appellatio non datur à senten-

sententia, qua statim executioni debet mandari, cum boni communis interfit, ea crimina statim puniri L. *constitutiones* 16. ff. de appellat. Simonia verò est crimen, super quo sententia lata statim habere debet executionem ex c. *sicut*, ibi: *Sine dilatione, mox debet de Ecclesia expelli*. Deinde hæresis non admittit appellationem; huic autem æquiparatur Simonia propter magnitudinem delicti. c. *Ut acquisitionis*, 18. de hæres. in 6. l. 1. C. de falsâ monet. Et addit Castropalaus cit. p. 27. n. 4. in iis, in quibus ipso jure imponitur poena, sententiam declaratoriam facere, transire in rem judicatum.

ARTICULUS ULTIMUS.

Quis possit dispensare cum simoniaco.

588 CUM ex dictis constet, simoniaco varias poenas esse statutas, vel *latas* ipso jure, vel *ferendas* à Judice, cujusmodi sunt excommunicatio, suspensio, interdictum, inhabilitas retinendi beneficium simoniacè acquisitum, vel aliud deinceps acquirendi; quæstio in præsens est, quis in ejusmodi poenis, à simoniaco contractis, possit dispensare? & primò quidem, quis possit dispensare in poenis Simoniæ à Judice ferendis? in his distinguendum est, an sint ex genere suo *perpetua*, an solum *temporales*? quo posito. 3y. Etsi, postquam Judex propter Simoniam, in judicio probatam, Reo imposuit poenam suspensionis ab officio, & beneficio, ea non possit remitti à tali Judice, *durante tempore*, pro quo imposita est, probabile tamen esse, quòd possit ante transactum tempus; *si tamen sint temporales*. v. g. ad triennium. Nam ejusmodi poena non est ex genere suo perpetua, sicut infamia, depositio.

589 Si autem queratur quis possit dispensare in poenis ipso jure latis contra simoniacos? Not. inter eas primam esse excommunicationem eorum, qui simoniacè ordinant, beneficium conferunt, vel ad Religionem admittunt, ut jam præmissum est. Et quoniam hæc poena est Pontifici reservata, nemo de jure communi, & secluso privilegio, ac speciali concessione, nisi summus Pontifex ab ea legitimè absolvere potest. Altera est suspensio simoniacè ordinati ab Ordinis simoniacè accepti exercitio; & in hac dispensare similiter potest solus Papa juxta c. *penult.* h. t. Et quoniam

Tom. V.

ordinans simoniacè præterea punitur suspensione à collatione Ordinum, de illa exc. c. idem dicendum venit, & pluribus super hoc agit Suarez l. 4. c. 61. à n. 5.

Circa has suspensiones, & inhabilitates 590 not. 1. suspensum ab exercitio Ordinis simoniacè accepti, non posse legitime ascendere ad altiorem Ordinem; donec ab ea suspensione absolvarur. Est enim lege cautum, ut patet ex Bulla Sixti V. contra male promotos (ibi: *spe dispensationis careant*) confirmata à Clemente VIII. quod Castropalaus cit. d. 3. punct. ult. intelligendum censet, non tantum de suspensione ab exercitio Ordinis simoniacè accepti, à sic ordinato incurfa; sed etiam incurfa à sic ordinante, & mediatoribus; & suspensione incurfa à Capitulo Regulari propter Simoniam commissam in receptione ad Religionem. Not. 2. Poenam expulsionis à Monasterio per Simoniacam professionem, incurfam, post condemnationem, à solo Pontifice relaxari posse, excepto casu ignorantia (per c. *De Regularib.* de Simon.) vel necessitatis (per c. *Quoniam* eod.) ante condemnationem autem, cum tunc nondum sit incurfa, non indigere relaxatione; ita Suarez. l. 4. de Simon. c. ult. n. 7. Not. 3. Ab interdicto, quo prohibetur ingressus Ecclesiæ simoniacè ordinanti, & Prælati recipientibus beneficium per Simoniam confidentia, solum Papam posse absolvere; cum ei sit reservatum; sic Castrop. cit. n. 2. Not. 4. Quando diximus solum Papam posse absolvere à prædictis poenis, & censuris, intelligendum esse, quando sunt *publica*, ac *deductæ ad forum consentiosum*; secus enim valde probabiliter ab illis (dum multæ sunt) absolvere potest Episcopus virtute CC. Tridentini sess. 24. de Reform. c. 6. ita Suarez cit. l. 4. c. 61. n. 11. Nec obstat Bulla Pii V. prohibens hanc facultatem. Nam eam quoad hoc non esse usu receptam, diximus in superioribus ex Lessio, & aliis.

Si petas quis dispensare possit in poena 591 inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica? 3y. Episcopum posse pro illa vice dispensare in inhabilitate, ut beneficio iterum conferri possit beneficium, quod prius simoniacè recepit, si concurrant istæ conditiones 1. Si Simonia commissâ sit ignorante beneficiato, & ipse illud bonâ fide recepit. 2. Si beneficium sit simplex. 3. Si prius libere illud resignavit; id, quod colligitur ex c. *penult.* de elect. de quo egimus supra n.

553. Ex hoc colligitur, Episcopum nec pro illa vice in ea pœna posse dispensare, si *scienter* commisit Simoniam is, qui beneficium recepit; nec privilegium Episcopis in Trid. loco cit. concessum *pro censuris occultis* extendi ad hunc casum; cum irregularitas non sit censura; & facultas à Trident. concessa non extendatur ad casus reservatos, quantumvis occultos, si reservati sint novâ lege Pontificis post Tridentinum conditâ. Sic enim dicitur respondisse Gregorius XIII. auditâ relatione S. Congregationis, prout refertur Volum. 4. decision. Rotæ, per Farinacium fol. 77. ita pluribus relatis tenet Barbof. in cit. c. 6. n. 22.

592 Hanc opinionem probabiliorem oppositâ judicat Castropalaus cit. n. 4. licet, quòd Episcopus in ejusmodi inhabilitate (*si occulta sit*) dispensare possit, censcat quoque probabile cum Henriq. l. 13. de Excommunic. c. 56. n. 1. Lessio l. 2. c. 35. dub. 25. n. 140. Suarez. l. 4. c. 61. n. 11. Cum enim potestas ad dispensandum in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus sit materia valde favorabilis, ut rectè notat Pyrrhus, Corradus in praxi dispensat. Apostol. l. 1. c. 6. n. 27. consequenter latè interpretanda; sub *irregularitate* autem ex delicto, *latè sumptâ* (ut multis probat Henriquez cit.) intelligi possit *inhabilitas* etiam ad beneficia vel retinenda, vel acquirenda, quæ infligitur in pœnam Simonia; potestas etiam in ea dispensandi, si vitium occultum sit, probabiliter concessâ dicitur Episcopis.

593 Obstare tamen videntur decisiones Cardinalium; sed respondet Castropalaus cit. P. 3. tr. 17. D. 3. de Simon. p. ult. n. 4. eas non obstare; tum quia illis decisionibus (etsi sint magnæ autoritatis) non est necessariò standum, ut expresse docet Sanchez l. 8. de Matr. D. 2. n. 10. circa finem, ac de stylo Curia, & decisionibus Rotæ,

docet similiter Vasquez l. 2. d. 177. c. ult. n. 75. ubi optimè probat, declarationes, vel decisiones Rotæ non habere vim legis: Quia facilem habent explicationem. Nam rectè possunt exponi de casu beneficiorum, quibus talis simoniacus privatus fuit *per sententiam*; non autem, ante sententiam, nec mere arbitraria est hæc explicatio declarationum, de quibus n. 591. Cum enim ibi dicat Congregatio, *Episcopum posse absolovere sacerdotem sibi subditum à Simonia occulta; & rehabilitare ad Ordines, & beneficia tam obtenta, quam obtinenda; & postea subjungat. Sed non ad beneficia, quibus propter Simoniam privatus fuisse, vel ad obtinenda*: Hæc postrema verba, ne prioribus contradicant; intelligenda veniunt de beneficiis, quibus privatus fuit *per sententiam*. Sic Castropal.

Si dicas, declarationes Cardinalium ⁵⁹⁴ secundum se præcisè sumptas, non esse quidem *necessariò* sequendas; secus tamen esse, si factâ relatione ad Pontificem, ab hoc confirmantur: Respondet Bartholomæus Chassaing de Privileg. Regular. tr. 1. c. 1. propof. 3. id non procedere, licet approbentur etiam à Papa *in forma communi*, nam Pontifex per ejusmodi confirmationem novum jus rei, quæ confirmatur, non affert. c. *Cum dilecta*, de confirm. util. vel inutil. ergo res manet *in statu quo*, nimirum antiquo, etiam positâ tali confirmatione. Sed de hoc plura lib. 1. Decret. in tit. de Constitut. Ex dictis colliges, Simoniacum, qui simoniacè accepit beneficium, quod habet, dispensatum ab Episcopo (juxta probabilem sententiam in n. 592.) posse sine alia, vel nova collatione retinere illud beneficium, *in foro conscientia*, cum in dato casu Episcopi dispensatio, in dictâ inhabilitate pro foro conscientia, valdè probabiliter valeat; ita Suarez tom. 5. in 3. p. D. 13. sect. 1. n. 34. Abbas c. *Expositio* lastis. De Cleric. excommunic. ministr.